Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Xenophon

XENOPHONTIS || CYRI PAEDIAE || LIBER PRIMVS.|| AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM || HENRICVM IVLIVM || Praesulem designatum Halberstad.|| Ducem Brunsuig. et Lunaeburg.|| Ioanne Caselio interprete.||

Rostock: Lucius, Jakob d.Ä., 1578


http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863614663

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

3971

47. *Caselius*, J., Xenophontis Cyripaedia. Rostochii 1578.
pgb.

Banér
Djursholm



Cc - 10105/1 1-5

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863614663/phys_0002

Jacobs Tolen
me sibi annumerat.

Ao 1615.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863614663/phys_0003

Ηροδοτος θαλεια. 139. κύρου ἀρετῆς ἐξοχή. τοιαύτης δὲ οὐδεὶς ἀνθρωπηίη γενεὴ ὑπερβάλλει παρὰ δαρείῳ κριτῇ, ὅτι τ' ὕστερον ἐγένετο, ὅτι τῶν πρότερον, ὅτι μὴ κῦρος μοῦνος. τούτῳ γὰρ οὐδεὶς περσέων ἔξεστι ἴσον εἶναι συμβαλέσθαι.

Πλάτων κρίτων VI. 18. ἢ γὰρ ὃ χρὴν ποιεῖν παῖδας, ἢ ξυνδαταλαιπωρεῖν καὶ τρέφοντα καὶ παιδεύοντα.

XENOPHONTIS CYRI PÆDIÆ

LIBER PRIMVS.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM
HENRICVM IVLIVM
Præsulem designatum Halberstad.
Ducem Brunsuig. et Lunæburg.
Nicolao Regenstorf. Joan. Caselius.
Ioanne Caselio interprete.



Cum priuilegio Cæsareo ad annos VI.

ROSTOCHII, *Ex officina Iacobi Lucij.*

Anno M. D. LXXIIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863614663/phys_0009



Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

1924. G. 1251/5

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863614663/phys_0010

XENOPHONTIS CYRI PÆDIÆ

LIBER PRIMVS.

CONSIDERAVIMVS ALIquando, quænam respublica populares ab iis conuersa fuerint, qui in quocunq; alio statu, quàm in populari mallent viuere: quiq; & principatus vnius & dominatus paucorum iam à populis sublati: qui item, summo imperio affecto, vel etiam celeriter admodum deleti fuerint, vel cum quodcunq; temporis spatium imperio potiti fuissent, suspiciantur, vt sapientes & fortunati viri. Multos vero animaduertisse videbamur, qui & in priuatis ædibus, cum alerent, vel amplam familiam, vel etiam paruam, neq; tamen, quantumuis heri, prorsus hosce paucos ita tractare potuerint, vt dicto audientes essent. Præterea etiam cogitabamus bubulcos boum, &

qui equos pascunt, equorum esse duces: & quicunq; pastores appellantur, quibus animalibus præsint, eorum non iniuria duces existimari. Omnes igitur hosce greges videbamur videre, malle pastoribus parere, quàm homines magistratibus. Progrediuntur enim greges, quò eos pastores dirigant, pascunturq; in iis locis, in quæ admittant, et ab iis abstinent, à quibus arceant: atq; etiam fructibus, qui ex ipsis proueniunt, pastores vti sinunt, quemadmodum ipsi velint. Iam vero nullum vmquam gregem aduersus pastores coniurasse accepimus, vt vel obtemperare recusauerit, vel ipsorum fructibus vti vetuerit: quin ipsi greges quibuscunq; aliis infensiores sunt, quàm suis ducibus, & iis, qui ex ipsis vtilitatem capiunt: at homines aduersum nullos coniurant magis; quàm aduersum eos, quos intelligant ipsorum principatum affectare. Cum igitur hæc cogitaremus, in hanc sententiam, quod ad ipsa attinet, descendimus: qui homo natus esset, ei animalium ceterorum cuicunq; imperare faci-

facilius esse, quàm homini. Postquam autem animaduertimus, Cyrum illum Persam fuisse, qui quamplurimos sibi homines parauerit dicto audientes, quamplurimas item ciuitates, quamplurimas deniq; gentes: deinceps necesse habuimus, sententia mutata, existimare, non esse opus, quod omnino fieri non possit, neq; omnino difficile, hominibus imperare, si quis scitè hoc agat. Cyro igitur scimus vltro paruisse, alios plurium dierum itinere distantes: alios mensium: alios, qui se nunquam eum visuros esse, non dubitarent: tamen ei parêre voluerunt. Etenim vsq; eo ceteris regibus præstitit, tum his, qui regna à maioribus accepissent, tum his, qui ea sibi ipsimet acquisiuissent: vt Scytha, licet ingens sit Scytharum multitudo, aliam gentem nullam suæ ditioni possit adiicere, sed contentus facile sit perpetuo suarum gentium imperio, & Thrax Thracum, et Illyrius Illyriorum: & de aliis gentibus perinde se habere accepimus. Itaque Europæa etiam nunc suis legibus viuere perhibentur,

essequ distincta inter sese. Cyrus autem, cum ad eundem modum gentes Asiaticas, quæ et ipsæ suis legibus viuerent, accepisset, progressus cum exiguis Persarum copiis, & Medorum & Hyrcanorum imperium adeptus est, quod ipsi vltro vtriq; detulerunt: subiugauit autem Syros, Assyrios, Arabes, Cappadoces, Phryges vtrosq;, Lydos, Cares, Phœnices, Babylonios: imperauit vero & Bactriis, & Indis, & Cilicibus: itemq; Sacis, & Paphlagonibus, & Megadinis, & aliis gentibus quamplurimis, quarum ne quidem nomina quis possit referre: imperauit præterea & Græcis, qui in Asia sunt: cum vero ad mare descendisset, & Cypriis et Aegyptiis. Et sanè hisce gentibus imperauit, quæ iam alia lingua vterentur, quàm et ille, & ipsæ inter se: & tamen tot regiones nominis sui formidine penetrare potuit, vt ipse omnes percelleret, neq; cum quisquam adoriri auderet: potuit & tantam omnibus sibi gratificandi cupiditatem iniicere, vt semper de ipsius sententia regi cuperent. Adsciuit vero

al. Budinis.

δύναμις Λοξερ.

Εὐεργεσία Φιλη-
τ' καὶ ἐπιθυμητ'.

vero sibi tot nationes, quot peragrare laboriosum sit, quaqua versum ordiatur quis ab ipsa regia, siue ad orientem, siue ad occidentem, siue ad septentrionem, siue ad meridiem. Nos igitur de hoc viro, qui maximè videlicet dignus sit, quem homines admirentur, inuestigauimus; & quo genere natus, & quo ingenio præditus, & qua ratione educatus, tantopere in hac hominibus imperandi arte excelluerit. Quæcunq; igitur & audiuimus, & intellexisse de eo videmur, dabimus operam, vt ea oratione nostra exponamus.

γένος.
Φύσις. παιδεία.
πράξεις καὶ
ἀρχή.

Patre igitur Cyrus natus esse dicitur Cambyse, rege Persarum: (sed hic Cambyses ex gente Persidarum erat; Persidæ vero à Perseo nominantur) matre autem Mandane natum esse constat. Verum hæc Mandane Astyagis erat filia, Medorum regis. Natus vero Cyrus & dicitur & canitur etiam hodie à barbaris, specie pulcherrimus, animo humanissimus, & discendi cupidissimus, & honoris studiosissimus, ita vt quemuis laborem toleraret, nihil non discriminis dia-

adiret laudis adipiscendæ gratia. Eiusmodi ergo animi & formæ natura præditus fuisse prædicatur. Educatus porro fuit in Persarum legibus: videntur vero hæ leges initium facere à cura publicæ vtilitatis. Non enim initium faciunt, quale in plerisq; ciuitatibus. Pleræq; enim ciuitates permittunt, vt quisq; suos liberos, quomodo ipse velit, educet; & qui prouectioris ætatis sint, vitam instituant, quomodo velint: solum modo præcipiunt, ne furentur, ne rapiant, neue in alienam domum irruant, ne pulsent, quem fas non sit, ne adulterium faciant, vt omnino magistratui pareant, atq; ita alia eiusmodi. Quod si vero quis horum quid violet, pœnas ipsis irrogant. Verum Persicæ leges hoc initio cauent & diligenter curant, ne omnino sint tales ciues, qui improbi facinoris turpisue cupiditate ardeant. Curant autem hoc modo. Est ipsis forum, quod liberum appellatur: ibi & regia & cetera curiæ exstructæ sunt: inde venalia quæq;, & homines circumforanei, & horum voces, & mores inuenusti re-

παιδεία.

ἀγοραῖοι

φωναί.

ἀποτροπαλίας. iecti

1. βοαι.

iecti sunt in quendam alium locum, ne horum strepitus cum eleganti ratione eorum, qui bene educantur, commisceatur. Sed hoc forum, in quo curiæ sunt, in quatuor partes distinctum est: harum una pueris; una ephebis, una viris egregiis; una emeritis destinata est. Lege autem quilibet horum in sua loca veniunt, pueri prima luce, itemq; viri: sed ætate confecti, quando cuiq; commodum sit, præterquam certis diebus, cum eos adesse oportet: adolescentes dormiunt circum curias, cum armis, quibus exercentur, præter eos, qui uxores duxerint: qui non requiruntur, nisi ipsis edictum sit, vt adsint: neq; tamen sæpe abesse, honestum est. Sunt autem cuilibet harum partium præpositi magistri duodecim, (sunt enim Persæ in duodecim tribus distributi.) & qui pueris præsint, è senioribus delecti sunt ii, qui pueros optimos reddere videantur; qui præsint adolescentibus, ex ipsis uiris, qui adolescentes optimos efficere videantur; qui viris præsint, hi, qui ipsos uideantur reddere quàm promptissimos

ἀγωγή.
πόνοι
καρτερία.
ἀνδρεία.
σωφροσύνη.

Magistri tribuum in curijs.

Magistri puerorum seniores.

Magistri adolescentium virij.

Magistri virorum virij.

ptißimos ad faciendum officium, & exſequenda, quæ ab ipſis à ſummo magiſtratu denuncientur. Sunt verò & præſides delecti ſenum, qui eò præſunt, vt & ipſi ſemper officio fungantur. Iam quæ cui ætati ad faciendum mandata ſint, commemorabimus: quò magis perſpicuum fiat, quo modo curam adhibeant, vt ciues euadant quàm optimi. Pueri igitur qui ludos litterarios frequentant, hoc ſolum perpetuò agunt, vt iuſtitiam diſcant, & ſe propterea in ludos ire profitentur; quemadmodum noſtri, vt litteras diſcant. Eorum verò magiſtri, potiſſimam diei partem nihil fere aliud agunt, quàm vt illis ius dicant. Pueri namq; etiam inter ſe, perinde vt viri, ſe reos agunt, & furti, & rapinæ, & uiolentiæ, & doli, & dictæ contumeliæ, & aliorum criminum, quæ ad iudicem deferri ſolent. Qui autem iniuriæ conuicti fuerint, pœnas dant: neq; verò non & eos plectunt, quos iniuſtè alios accuſare deprehenderint. Iudicium quoq; non minus quam de aliis, dant de crimine,

Ἀγωγὴ τῶν παίδων. τέλος δικαιοσύνη ἢ καθόλου.

Forum puerorum Iudicale. magiſtri ſunt g. iudices.

Ἵνα γίγνωνται φιλόνεικοι.

ob

Ingrati.

ob quod homines se mutuò oderunt maximè, sed minimè omnium in ius vocant: (id est ingrati animi crimen) & quem cognouerint posse referre gratiam, neq; tamen referat, in eum acriter animaduertunt. Arbitantur enim ingratos, & deos maximè negligere, & parentes, & patriam, & amicos: comitari verò videtur potissimum ingrati animi crimini impudentia. Etenim hæc maxima dux esse uidetur ad omnem turpitudinem. Docent verò pueros etiam modestiam: ad quam perdiscendam multum confert, quod senes totum diem vident moderatè viuere. Docent item eos & magistratibus parère: ad quod multum quoq; confert, quòd & senes vident religiosè parère magistratibus. Docent item eos & uentris & potus continentes esse: ad quod multum etiam confert, quòd uident senes non priùs digredi uentris gratia, quàm dimittantur à magistratibus: quodq; pueri non apud matrem cibum capiunt, sed apud magistratum, si magistratus significent. Domo

σωφροσύνη.

Ter. Eum negre pudet quidquam. ἐγκράτεια

πειθαρχία

M. T. de off.

De modestia sive temperantia Laconicorum adolescentulorum Xenoph. in pol. Laconica p. 395. de pudore Aristot. n°θ. Δ.

mo verò adferunt in cibum, panem; in obsonium nasturtium; ad bibendum si quis sitiat, situlam, qua è fluuio aquam hauriat. Præter verò hæc arcu & iaculis vti discunt. Ad annum igitur sextum & septimum decimum ab ineunte ætate hæc agunt. Deinceps referuntur in ephebos: hi ita vitam instituunt: decem annis post quam è pueris excesserunt, somnum capiunt circum curias, vt & antè dictum est, tum vt excubias agant vrbis, tum ob modestiam: (uidetur autem huic ætati potissimum diligenti curatione opus esse.) præsto autem sunt interdiu vsibus magistratuum, si quid velint reip: caussa: & si quando opus sit, omnes manent ad curias: cum verò rex venatum egreditur, educit alteram partem excubiarum: id quod mense facit sæpius. Sed qui vnà exeunt, hos arcum habere oportet pone pharetram, & in vagina ensem, vel securim: atq; insuper parmam & duo hastilia, vt, vno emisso, vti possit altero cominus, si opus sit. Ea autem de caussa publicè venationi student; & rex, perinde

Sallust. Iugurth. B. p. 64.

ἡ τῶν ἐφήβων ἀγωγή.

Plutarch. Xenoph. in rep. Lacon.

Venatio.

inde vt in bello, dux ipſis eſt: & tum ipſe venatur, tum videt, vt & alii venentur. Hæc namq; veriſsima eſſe videtur ad bellum exercitatio. Aſſuefacit enim ad ſurgendum mane, & ad frigora æſtusq; tolerandos: exercet item & ambulatione & curſu: neq; non neceſſe eſt, aut ſagitta aut iaculo feram petere, vbicunq; in eam quis incidat: animum item eius neceſſe eſt ſæpe inter uenandum acui, cui robuſta bellua ſe opponat. Quæ enim te adoriatur, eam ferire oportet: tibiq; ab alia cauere, quæ irruat. Quare non facile eſt inuenire aliquid, quod abſit à uenatione, quod idem in bello ſit. Cùm autem ad venationem proficiſcuntur, ferunt ſecum in prandium aliquanto plus, vti conuenit, quàm pueri, cæteroqui ſimile: neq; ſi uenentur, prandeant: quod ſi exſpectandum ſit diutius ob belluam, aut alioqui velint in uenatione commorari: pro prandio cænant, atq; iterum poſtridie ad cænam venantur, habentq; hoc bidui pro vno die, quod vnius diei cibum abſumunt: id quod eò faciunt, quò

καρτερία
γυμναοία.
ἀγδεία. Ἀγρίπνος.

assuescant, vt si in bello opus sit, hoc possint facere: pro obsonio porro, qui huius ætatis sunt, habent, quodcunq; uenando ceperint: quod si nihil, nasturtium. Iam si quis eos arbitratur, aut vesci iniucundè, cum vescuntur solo adhibito ad panem nasturtio, aut iniucundè bibere, cum aquam bibunt: is in mentem reuocet, quàm iucundum esu sit placenta & panis esurienti, quàm item aqua sitienti iucundum bibitu. Quæ verò tribus domi manent, tum aliis occupantur, quæ pueri didicerunt, tum arcu & iaculis: & quidem his perpetuò inter se concertant: quin & eorundem sunt publica certamina, & præmia proponuntur. In qua autem tribu exstiterint plures, his artibus optimè instructi, & fortissimi & fidissimis ibi collaudant ciues & honore afficiunt, non solum hunc, qui nunc illis præfectus est, sed & eum, qui eos pueros educauerit. Vtuntur item remanentibus ephebis magistratus, si vel alicubi præsidio opus sit, uel facinorosi sint inuestigandi, vel latrones ex insidiis adoriendi

Ex ep. Simonis ad Aristip. μεμνησο μὲν φιλεῖν καὶ δίψης ταῦτα γὰρ δύναται μεγάλα πρὸς σωφροσύνην διώκοσ. apud Stobæum

Ἀγῶνες ἆθλα.

† ἀρεταῖς παθικαῖς καὶ σωματικαῖς.

Tibi excitat ingenia præstantia: Poena coercet improbos.

1
2
3

Fortissimi. ἐν πολέμῳ καὶ δίκαιοις

Fidissimi ἐν πολέμῳ τε καὶ εἰρήνῃ.

Fides Iustitiæ fundamentum.

di sint, vel in quocunq; alio negotio, quod viribus & celeritate geratur. Hæc igitur ephebi agunt. Vbi porro hosce decem annos exegerint, referuntur in viros. Ex quo verò tempore ex ephebis excesserint, iam quinq; et viginti annos ita viuunt. Primùm, vt ephebi, præsto sunt magistratibus, si ipsis opus sit, in quibuscunq; negotiis ad remp. pertinentibus, quæ iam et prudentia et viribus gerantur. Quòd si hisce militandum sit, qui ita sint educati, non iam arcu neq; hastilibus instructi militant, sed armis quibus cominus pugnatur, muniuntq; pectus thorace, & parmam tenent sinistra, cuiusmodi Persæ habere pinguntur; dextra machæram siue gladium. Et omnes magistratus, ex his creantur, præter magistros puerorum. Ceterum vbi viginti quinq; annos ita exegerint, nati iam mihi fuerint plus quàm annos quinquaginta ab vltima infantia. Referuntur verò tum in senes, vti & sunt & nominantur. Hi senes iam non militant extra suam regionem, sed domi remanentes,

Vita virorum

ἀρχαὶ στρατιωτικαί.

ἀρχαὶ πολιτικαί.

ὁ τῶν γερόντων βίος.

Seruiunt reipub.

νέοι	ἀνδρεία omnia
ἄνδρες	ἀνδρεία καὶ ἀρχαί
γέροντες	ἀρχαί

omnia & publica & priuata negotia exercent: hi & capitales cauſſas audiunt, et omnes magiſtratus creant: & ſi quis vel ex ephebis vel ex viris quid eorum, quæ legibus ſancita ſunt, præterierit, quemq; horum deferunt magiſtri tribuum, et ſi quis uelit ex aliis: ſed ſenes cognita cauſſa eum ordine mouent, quiq; ita fuerit ordine motus, ei nunquam in vita patet ad honores aditus, Verùm quo apertius declaretur Perſarum respublica, paullulum regredior. Hoc enim iam pauciſſimis declarari poſſit propter ea, quæ expoſita ſunt. Dicuntur namq; Perſarum eſſe ad centum viginti millia: neq; horum quispiam excluditur ab honoribus & magiſtratibus: ſed licet omnibus Perſis liberos ſuos mittere in communes iuſtitiæ ludos: verùm qui poſſunt liberos ſuos otioſos alere, mittunt: non mittunt, qui id nequeunt. Iam qui à publicis magiſtris in pueritia educati fuerint: iis licet inter ephebos adoleſcentiam agere: qui verò omni pueritia non ita fuerint educati: non licet. Qui etiam inter

Κυβόλου περὶ Περσῶν.

Persæ 12000.

Apud Persas potior est ratio παιδείας ἢ ἥθους ἢ πλούτου.

Educationem omnium ætatum perfici oportere, neq; unum aut alterum tempus παιδεύεσθαι relinqui.

ter ephebos legibus semper paruerint: iis licet se ad consuetudinem egregiorum virorum conferre, & aditus patet ad magistratus & honores. Qui verò neq; in illis pueris, neq; in illis ephebis fuerint, non recipiuntur in egregios viros. In his egregiis qui se extra omnem reprehensionem præstiterint; hi accedunt ad seniores. Ita igitur seniores fiunt, vt per omnes honestatis gradus ascenderint: atq; hæc est ciuitatis gubernatio, qua vtentes, existimant se optimos euadere. Atq; etiam nunc testimonium reliquum est, tum modici ipsorum victus, tum quod hunc laborando exhalant. Turpe siquidem & hodie est Persis, & expuere, & nares emungere, & spiritibus redundare videri: turpe item est, conspici exeuntem mingendi aut similis cuiusdam rei gratia. Hæc facere non possent, nisi & modica ratione victus vterentur, & laboribus humores absumerent, vt quod superuacaneum est, alia via excerneretur. Hæc igitur habuimus, quæ de vniuersis Persis diceremus: sed propter quem instituta

τέλφοι ἄνδρες

γερώτεροι.

σπύσα παρὰ τῶν πέρσαις τῆς σωφροσύνης καὶ τῆς εὐκρατείας.

περὶ ἀκολασίας πθ. γ.

3.

Elb. Galatej p. 88.

Idem lib. p. 141.

C

Varro de liberis educandis.

Persæ propter exercitationes puriles modicas, eam sunt consequuti corporis siccitatem: vt neq; spuerent, neq; emungerentur: sufflato q̄ corpore essent.

tuta est oratio, nunc Cyri res gestas persequemur, initio facto ab ipsius pueritia. Cyrus namq; ad annum ætatis duodecimum, vel paullo amplius, hac ratione educatus fuit, & citra controuersiam omnes æquales superauit, vt & celeriter disceret, quæ discenda essent, & præclarè fortiterq; quæuis gereret. Deinceps verò arcessiuit ad se Astyages filiam, vnaq; eius filium. Magno enim huius uidendi desiderio tenebatur, cum præstantem iam eum esse acciperet. Venit & ipsa Mandane ad patrem, & adducit secum Cyrum filium. Quamprimum autem venit, atq; Cyrus Astyagem esse matris patrem cognouit: statim, vt qui natura esset puer humanissimus, primum ipsum salutabat, ac si quis olim apud eum educatus, & olim amore prosequens, salutaret. Atq; eum cùm videret pictum oculis, fuco illitum, capillis adscititiis, quæ sunt in moribus Medorum. Sunt enim hæc omnia Medica: & pallia purpurea, & stola, & torques circum collum, & circum manus armillæ: apud

M. T. 1. de off. Ergo et a forma remouebatur omnis viro non dignus ornatus. et paulo post. Forma autem dignitas coloris bonitate tuenda est, color exercitationibus corporis. Adhibenda est præterea munditia non odiosa, neq; nimis exquisita: tantum quæ fugiat agrestem, et inhumanam negligentiam. Eadem ratio est habenda vestitus, in quo sicut in cæteris rebus mediocritas optima est. Vide Sallust. B. Jugurth. 125. Munditias mulieribus, viris laborem conuenire.

Tales amatores Lucret. Persas lib. IV. p. 546. pulcre describit. Vnguenta et pulcra in pedibus Sicyonia rident. Scilicet et grandes viridi cum luce Smaragdi Auro includuntur, teritur q; Sabaßina vestis Assidue, et Veneris sudorem exercita potat.

Persas verò, qui domi viuunt, etiam nunc & vestes multò sunt viliores, & victus multò tenuior. Cùm videret igitur ornatum aui, intuens ipsum: mater, inquit, quàm pulcher mihi auus est. Ibi, interrogante ipsum matre, vter videretur ipsi pulchrior, paterne an hic? respondit Cyrus. Persarum longè pulcherrimus est pater meus: Medorum verò, quotquot ego, & in viis & in foribus viderim, hic auus meus est longè pulcherrimus, Tum Astyages salute vicissim dicta, ipsum & pulchra stola induebat, & torquibus & armillis donabat, atq; exornabat: & sicubi exiret, in equo, cui aureum frenum iniectum esset circumducebat, quemadmodum & ipse equitare consueuisset. Cyrus verò, vt qui puer esset & perelegans, & laudis cupidus, delectabatur stola, & supra modum gaudebat, quoniam equitare discebat. Apud Persas enim, quod difficile sit, & equos alere, & equitare, cum regio montibus aspera sit, perraro etiam accidit, vt equum videas. Ceterùm Astyages

Horat. sat. 2. lib. 2 Accipe num victus tennis quæ. ꝛc

Cic. Tusc. v.

ἄρις. τρυπε. α. ποικίλη τροφὴ νοσώδης. ταραχώδης γὰρ καὶ οὐμία τέξις.

Voluptuarij.
Persæ.
Medi.
Persæ.
Siculi
Italiotæ, et
Sybaritæ. ꝛc

cum filio & Cyro cænans, cum cuperet puerum, quàm iucundissimè cænare, quo minore domesticarum rerum desiderio caperetur; apposuit ipsi patinas, & varia condimenta, atq; cibos. Ibi Cyrum aiunt dixisse: Quantum tibi, aue, in cæna negotii est, si in vniuersas hasce patinas tibi manum porrigere necesse est, & degustare de variis hisce cibis. Quid? dixisse Astyagem; an non tibi multo lautior hæc cæna videtur, quàm Persica? Ad hæc Cyrus respondisse dicitur: Minimè verò, aue: sed multo simplicior & rectior apud nos via est ad explendam famem, quàm apud vos. Nos enim panis eô ducit & caro: uos verò eôdem, quo nos tenditis, sed multas aliquas ambages sursum deorsum vagati, vix tandem eò venitis, quò nos iampridem accessimus. Atqui, dixisse Astyagem, nulla cum molestia hinc inde vagamur: quod si hæc degustes, inquit, & tu comperies, quàm hæc sint suauia. At etiam te, dixisse Cyrum, mi aue, fastidire hos ipsos cibos video. Ibi ulterius quæsiisse Astyagem

Supra de continentia: ad hanc inclinat ingluxumq; deridet puer Cyrus.

agem: Ecqua, fili, coniectura ductus, hoc asseris? Quia, dixisse, cum panem contingis, non video te abstergere aliquo: at ubi horum quid attigeris, statim abstergis manum mantilibus, quasi tibi admodum molestum sit, cum eam illis infeceris. Ad hæc dixisse Astyagem: quod si ita sentis, mi fili: fruere carnibus, vt domum adolescens redeas: cumq; ita diceret: carnis ipsi obtulisse multum & ferarum & cicurum animantium. Ibi Cyrum, cùm vidisset plurimum carnium, dixisse: Largirisne mihi, mi aue, hoc quidquid est carnium, & iis vtendi potestatem facis, vt volo? Certè equidem, dixisse, fili. Tum igitur Cyrum acceptas carnes ministris, qui circum auum erant, distribuisse, seorsim quemq; compellantem: eccum tibi, quod libenter me equitare doces: & tibi, quod hastile mihi donasti, quo etiam nunc vtor: & tibi, quod egregiè ministras auo: & tibi, quòd matrem meam colis. Atq; hoc fuisse persecutum, donec distribuisset, quidquid acceperat carnium. Sacæ verò, dixisse

Supra dictum de ingrati animi crimine. Didicit autem ὁ εὐχαριστεῖν καὶ χάριν ἐιδέναι. Et Sacæ sint initia liberalitatis.

Astyagem, quem præ aliis in precio habeo, nihilne largiris? Sacas autem erat homo egregius, quiq; hac dignitate fungeretur, vt admitteret, si qui Astyagem quid vellent, aut arceret, quos admittere ipsi minùs opportunum videretur: Atq; Cyrum quæsiisse repente, vt qui minimè formidolosus puer esset: quid, mi aue, huncce tanti facis? Et Astyagem ludentem dixisse: an non vides quàm vinum pulchrè & eleganter fundat? Pincernæ siquidem horum regum scitè admodum vinum fundunt, & infundunt mundissimè, & ipsis tribus digitis vt vehunt, ita præbent phialam, & sic offerunt bibituro poculum, vt ipsum commodissimè queat prehendere. Iube igitur, dixisse, mi aue, vt Sacas & mihi poculum porrigat, vt vbi & ego tibi ad bibendum pulchre infudero, te mihi, si possim, deuinciam: & ipsum iussisse porrigere. Cyrum verò, vbi poculum accepisset, id ita bene eluisse, vt viderat Sacam facere: atq; sic composito vultu, magno studio & singulari elegantia obtulisse, & tradidisse

didisse auo phialam, vt multum risum & matri & Astyagi mouerit. Atq; ipsum Cyrum effusius risisse, & exsiluisse ad auum, & præbito osculo simul dixisse: periisti Saca, deiiciam ego te de munere. In aliis enim & vinum te pulchriùs fundam, neq; ipse vinum ebibam. Regum enim pincernæ, tradituri cui phialam, ex ea primùm paullum cyatho hauriunt, idq; manui sinistræ infusum absorbent, atq; hoc ea gratia, ne si venenum infundant, id illis minùs exitio sit. Deinceps igitur illudens Astyages, inquit: quid ergo, Cyre, cum in reliquis imitere Sacam, non absorbuisti nonnihil vini? Quoniam profecto, inquit, metueram, ne venena in cratere mista essent. Cùm namq; conuiuio excitaret amicos natali tuo, satis certò cognoui, venena vobis eũ infudisse. Quì verò, fili, inquit, tu hoc animaduertisti? Quia profecto, inquit, videbam vos, et mentibus et corporibus alucinari. Primùm enim, quæ nobis pueris facere non permittitis, ea ipsimet faciebatis. Omnes enim simul vociferabamini, neq;

Horat. lib. 3. od. 25. impium
Lenite clamorem sodales,
Et cubito remanete presso.

neq; inter vos unus ex altero quidquam intelligebat: etiam perquam ridiculè canebatis: etsi etiam non audiebatis eum, qui canebat; canere tamen iurabatis quàm optimè: cùm item quilibet vestrum vires iactaret suas; vbi surrexissetis ad saltandum, pedibus consistere non poteratis, nedum saltare in numerum potuissetis: omnino obliti fuistis, tu te regem esse, illi te imperare. Tum enim primum intellexi, quod tum gerebatis; id esse simul dicendi licentiam. Itaq; nunquam silebatis. Ibi inquit Astyages: tuus verò pater, fili, cum bibit, nonnè inebriatur? Minimè gentium, inquit. Sed quomodo agit? sitiens desinit: neq; ipsi aliud quidquam euenit incommodi. Vinum enim, ni fallor, aue, minime fundit ipsi Sacas. Tum inquit mater: verùm quid tu, fili, tantopere aduersaris Sacæ? Cyrum dixisse: quia profecto ipsi infensus sum. Sæpenumero enim me, quando ad auum cupio accurrere, hic perditissimus prohibet: sed obsecro te, dixisse, aue, permitte mihi, ipsi vt triduum imperem. Ibi

χαρίεις καὶ εὖ τραφεὶς.

dixisse

dixisse Astyagem: quomodo verò tu ipsi imperes? Cyrum respondisse: stans ipse, quemadmodum ille, in vestibulo, deinceps cùm velit accedere ad prandium, dicam: fieri nondum potest, vt prandium adeas: rem enim seriam cum aliquo tractat: deinde cum veniet ad cœnam, dicam: ipsam lauare: quòd si verò etiam admodum indigeat cibo, dicam: esse apud mulieres: atq; ita eum detineam, quemadmodum ille me detinet, quando ab auo prohibet. Huiusmodi ipsis hilaritates in cœna excitabat: interdiu verò, vbi intellexisset aut auo aut auunculo aliqua re opus esse, qui eam illis ministraret, vix quisquam huic anteuerteret. Quacunq; enim in re Cyrus ipsis gratificari posset, lætabatur admodum. Porrò verò cùm Mandane se pararet, vt ad maritum reuerteretur, rogabat eam Astyages, vt Cyrum apud se relinqueret: at illa respondit: se quidem patri in omnibus velle obsequi: sed existimare, graue hoc esse, si relinqueret inuitum filium. Tum igitur Astyages ad Cyrum inquit: Quòd si a-

pud me maneas, fili, primum Sacas nihil imperii in te habebit, quod ad aditum ad me, ſed vbi velis me accedere, erit in poteſtate tua: atq; etiam, inquit, quo ſæpius me adieris, hoc tibi maiorem habebo gratiam: præterea equis meis vteris cum aliis, vbi velis, tum quando reuerteris domum, abduces tecum, quos ipſe velis: præterea & in cæna quacunq; velis via ingredieris, ad eam mediocritatem, quam ipſe probabis: quoniam & dono tibi feras, quæ nunc in hortis ſunt, & alias omnis generis colligam: quas tu, vbi celeriter equitare didiceris, inſectaberis, & arcu iaculisq; conficies, vt ipſimet viri. Pueros etiam tibi præbebo, qui vna tecum ludant: deniq; quæcunq; te velle mihi oſtenderis, nihil horum omnium tibi negabo. Vt vero hæc dixit Aſtyages, ſedulo è Cyro ſciſcitabatur mater: velletne manere, an diſcedere: ipſe nihil cunctatus, ſed ſubito, ſe manſurum, dixit. Cum iterum á matre, quamobrem interrogaretur, dixiſſe dicitur: quoniam mater domi æqualium & ſum & eſſe videor præ-

Φιλομαθὴς καὶ Φίλιππος καὶ Φιλότιμος καὶ Φιλόνικος. Socrates. ἐὰν ἦς φιλομαθὴς, ἔσῃ καὶ πολυμαθὴς Φίλιππε. ὥρφες. καὶ μύλισα Σίτων, Νέσωρ, καὶ αὐτὸς ὁ Ξενοφῶν, ὁ ἱππαρχικὸν γράψας.

περὶ φιλοτιμίας ὄντως ἄλλης οὔσης, περὶ φιλονικίας.

præstantißimus, tum arcu tum iaculis: verum hic non ignoro, me æqualibus equitando inferiorem esse: idq; quod te, mater, scire volo, magnopere me excruciat. Quod si iam me hic relinquas, egoq; equitare didicero: si apud Persas sim, facile me superaturum, qui istic pedibus valent, existimo: sin huc ad Medas veniam, enitar, vt vbi optimorum equitum præstantißimus euasero, auo auxilium aduersus hostes feram. Ibi matrem dixisse: iustitiam, fili, quomodo hic disces, cum magistri tui illic sint? tum respondisse Cyrum: verum, mater, eam noui exquisitißimè. Quomodo eam nosti? dixisse Mandanen. Quoniam, respondisse, magister me & aliis præficiebat, quibus ius dicerem, vt iam exquisitè doctum iustitiam. Atq; igitur, dixisse, aliquando pœnas dedi ob vnum iudicium, quasi re malè iudicata. Erat autem iudicium huiusmodi. Puer procerior paruam habebat tunicam: hic alterum puerum, qui ampliorem haberet, tunica exuit, eiq; suam induit, sed idem induit tunicam alterius.

Hesiod. ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσ.

Xenoph. πολ. λακ. 595.

κρίσις κύρου.

Ego igitur cùm ipsis ius dicerem, decreui, satius esse ambobus, vt vterq; sibi aptam tunicam habeat. Sed propterea pulsauit me magister, inquiens: si iudex delectus forem de eo quod congrueret, sic faciendum esse: sin iudicare oporteat, vtrius sit tunica, hoc aiebat considerandum esse: vtrum dominium iustum sit; vtrum hic, qui vi rapuerit, habere debeat; an possidere, qui vel fecerit, vel emerit. Praterea verò aiebat, quod legitimum esset; hoc iustum esse: quod illegitimum; violentum. Quapropter iubebat, calculum legi consentaneum ferre iudicem. Sic tibi ego, inquit, mater, quæcunq; iusta sunt, omnibus modis exquisitè scio: sin quid desiderem, hoc auus, inquit, me addocebit. Verùm non eadem, inquit, fili, apud auum iusta, & apud Persas habentur. Hic namq; rerum apud Medos omnium dominum se constituit: sed apud Persas, id, quod æquale est, habere, iustum esse, legibus sancitum est. Et primus pater tuus facit, quæcunque facit reipublicæ, vti constituta sunt; & quæ consti-

Officium iudicis. ἐντορ. α.

constituta sunt, accipit. Est autem ipsi mensura, non fortuna, sed lex. Ne igitur flagris miserè cædaris, cum domi eris, si ab hoc pro ratione regia didiceris tyrannicam: in qua hæc opinio est, oportere habere res suas potiores rebus ceterorum omnium. Atqui hicce tuus pater, inquit Cyrus, in hoc multo plus valet, mater, vt doceat, paucis rebus potiùs contentum esse, quàm studere pluribus. An non vides, inquit, quod & Medos vniuersos docuerit, se ipso minus habere? Quare bono animo es. Pater namq; tuus neq; quemquam alium, neq; me dimittit à sese, ita institutum, vt didicerit studere pluribus. Huiusmodi igitur multa loquebatur Cyrus: ac tandem abiit mater, sed Cyrus remanebat, & ibi educabatur. Et quamprimum quidem æqualibus ita familiaris factus est, vt mutuò se admodum diligerent: celeriter etiam ipsorum patres sibi conciliabat, cùm eos adiret: Iamq; constabat, quòd ipsorum filios amplecteretur. Propterea & si quid regem vellent, iubebant Cyrum rogare, sibi

κῦρος φιλέταιρος
περὶ ἑταιρίας. 8.
et. 9. πθ.

re, sibi vt conficeret. Cyrus vero quidquid se rogarent pueri, ob humanitatem & laudis studium, non quiescebat antè, quàm confecisset. Etiam Astyages, quidquid à se peteret Cyrus: nihil habebat, quod prætenderet, quò minus ipsi gratificaretur. Etenim cum aliquando decumberet grauiter, nunquam ille discedebat ab auo, neq; vllum lacrumandi finem faciebat: iamq; omnes intelligebant, ipsum valde metuere vitæ aui. Nam & noctu si quid vellet Astyages, primus sentiebat Cyrus, & omnium impigerrimè prosiliebat ad ministrandum, quacunq; in re se ipsi gratificaturum arbitraretur. Itaq; arctissime sibi deuinxit sibi Astyagem. Atq; erat fortasse Cyrus loquacior, tum ob disciplinam, quod cogeret eum magister & rationem eorum reddere, quæ faciebat, & accipere ab aliis eorum, quæ iudicaret: tum etiam quod, amore discendi flagrans, multa ipse semper ex præsentibus sciscitabatur, cuiusmodinam essent, & quæcunq; ipse ab aliis quæreretur, de iis, quod sagacissimo ingenio esset,

Φιλόσοφος

Obsequijs deuinciuntur animj.

Κῦρος λαλίστερος.

Ad modestiam pertinet εὐτραπελία, et omnis lingua celeri moderatio. Loquaces sunt γύναια, παιδία, πολυθέωροι, ἱερόντες, et gentes Asiaticæ, Galli, Belgæ. ρ

βραχυλόγοι. λάκωνες. ἄξωνες. Η

Alia breuitas laudata, alia etiam vitanda +

celeriter respondebat. Itaq; ex hisce omnibus ea ipsi conflata fuit verbositas. Verum sicut in admodum adolescentium corporibus, qui magnitudinem consecuti sunt, tamen apparet aliquid puerile, quod arguat paucitatem annorum: ita & è Cyri verbositate, non audacia apparebat, verum simplicitas & singularis comitas. Quare quis desiderio teneretur etiam plura ex ipso audiendi, quàm vt tacenti adesset. Vt vero tempus ipsum prouexit vna cum magnitudine ad pubertatem: tum igitur & breuiore oratione vtebatur, & voce sedatiore: pudore item afficiebatur, vt & erubesceret, quoties sermonem conferret cum senioribus: idq; quod catulorum proprium est, vt omnes eodem modo adoriantur, in eo non amplius erat perinde temerarius. sic autem tum quietior erat, tum in consuetudine illo nihil erat suauius. Etenim de quibus sæpe inter se æquales contendunt sæpenumero: ~~tum~~ † ille in ea, in quibus se superiorem esse sibi erat conscius, prouocabat familiares: sed in quibus se inferiorem esse mini-

αἰδώς.

† non.

† φιλία . in Pb. ap. Stellata . πᾶσ. Δ. μᾶλλον φιλομαθὴς, ἢ φιλόνικος.

† apud — Hom. l. 5. 66. Men. et Vlyss.
— Hesiodus de lingua. γλῶσσα ἐστὶ θησαυρὸς.

minimè dubitabat, ea primus profitebatur, se rectiùs facturum aliis: & incipiebat iam insilire in equos, aut iaculari, aut arcu vti eques, quamuis in hisce rebus nondum versatus satis: quòd si superabatur, ipse seipsum deridebat maximè. Quoniam verò, licet superaretur, non tamen abiiciebat earum rerum, in quibus minimùm poterat, studium, sed perpetuò iterum experiebatur, quò rectius faceret: non solum celeriter in arte equestri, assequutus est æquales, sed etiam celeriter anteuertit: ita eius incredibili studio flagrabat: celeriter verò etiam feras in leporario confecerat, quas insequebatur, iaculabatur, & occidebat. Itaq; Astyages neq; ipsi ferarum satis colligere potuit. Verum Cyrus, cùm intellexisset, velle quidem ipsum, neq; tamen posse viuas feras suppeditare, sæpius ad eum aiebat: Quid opus est, aue, vt tantum negotii suscipias, vt mihi feras inuestiges? quin si me dimittas in venationem cum auunculo, arbitrabor, quotquot feras videro, te mihi eas alere. Etsi autem flagrabat de-

φιλοπεπεντης.

bat desiderio exeundi venatum, tamen non iam ita rogitare poterat, vti cum puer esset, sed accedebat cunctantius: cumq; antea succensuisset Sacæ, quod se ad auum non intromitteret; ipse iam sibi Sacas erat. Non enim accedebat, nisi ante dispexisset, an opportunum esset, & Sacam rogabat, sibi vt omnino indicaret, quando commodum ingredi, & quando esset incommodum. Itaq; Sacas ipsum iam supra modum amabat, quemadmodum & ceteri omnes. Cum igitur cognouisset Astyages, ipsum incredibili desiderio liberioris venationis teneri, dimittit eum, vnâ cum auunculo, eiq; in equis custodes adiungit seniores, tum vt ipsum à locis minus tutis arceant, tum si qua fortè fera appareat truculentior. Cyrus igitur, ex iis, qui se comitarentur, accuratè scisciabatur, ad cuiusmodi feras propius accedere oporteat, & cuiusmodi audacter persequi. Tum hi commemorabant, multos iam ab vrsis, & leonibus, & apris, & pardalibus. si qui propius accessissent, fuisse perditos: sed ceruos, & hinnulos

ὡς αὐδουμένους χὴ σωφρονῶν

Εὐκαιρία.

ἦν γὰρ φίλητος δι' ἄρκτον ἐπιμέλεσθαι.

τὸ φιλομαθὲς κατὰ λόγον.

nulos, & oues feras, & feros asinos, lædere neminem: aiebant vero & hoc, cauendum esse à præruptis locis, non minus quàm à feris: multos enim iam cum ipsis equis præcipitasse. Atq; Cyrus hæc omnia discebat sedulò: vbi vero vidit ceruum prosiliisse, eum omnium oblitus, quæ audierat, persequebatur, cum aliud nihil circumspiceret, quàm quò illa fugeret: ac sane eius equus transiliens, in genua concidit, parumq; abfuit, quin eum ex ceruice excuteret: veruntamen inhæsit equo Cyrus, idq; ægre quodammodo: atq; ita surrexit equus. Cum autem in campum venisset, iaculo prosternit ceruam, egregiam sane & magnam feram. Ipse igitur, mirum in modum lætatus est: at custodes, vbi accurrissent, conuitium ipsi faciebant, & exponebant in quantum periculum venisset, & aiebant, se ipsum ad auum accusaturos. Cyrus ergo, descenderat de equo, atq; astabat, & his auditis, cruciabatur animo: postquam vero clamorem sensit, in equum insiliit, veluti numine afflatus: visumq; ex aduerso aprum

τὸ ῥιψοκίνδυνον κατ' ἐπιθυμίαν.

μεταμελόμενος καὶ ἀκρατὴς ταύτης τῆς ἐπιθυμίας.

τὸ θεοδρὸν τῆς ἐπιθυμίας.

Audacia Cyri, qualis Ascanij apud Virgilium. IV Aen. p. 180. S. 84.
At puer Ascanius, mediis in vallib. aeri
Gaudet equo, iamq; hos cursu iam praterit illos:
Spumantemq; dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.

prum ingruentem, contra equum incitat: directumq; iaculum in frontem, veluti in scopum coniicit, & potitur apro. Tum vero etiam ipsi auunculus conuitium facit, visa audacia: verum ille nihilominus, quantumuis conuitiantem rogabat, sibi vt quæ ipse cepisset, eius venia liceret inferre ad auum, eiq; donare. Ibi auunculum dixisse ferunt: atqui si intellexerit, te fuisse insequutum, non tibi solum, sed & mihi conuitium faciet, tibi qui permiserim. Etiam si velit, dixisse illum, flagris cædat: modo hæc ipsi donem: & tu, si vis, inquit, auuncule, quas libet, de me pœnas sumito: hoc saltem mihi gratificare. Ac tandem, inquit, Cyaxares: fac vt libet: tu enim iam rex noster esse videris. Ita Cyrus illatas feras donabat auo, & aiebat, se eas illi venatum esse: ac iacula non quidem ille ostendebat, sed cruenta, quo loco visurum existimaret auum, deposuit. Astyages igitur aiebat: equidem sane, quæ mihi donas, fili, à te libenter accipio: sed tamen nullius horum egeo, vt te propterea in discri-

τὸ φιλότιμον.

τὸ παππῳ φιλόστοργον.

men velim deiicere. Tum Cyrus, inquit: si igitur horum non eges, obsecrō te, aue, da ea mihi, vt partiar in æquales. Etiam hæc, inquit Astyages, accipe, & distribue, cuicunq; libet: itemq; de cæteris quæcunq; vis. Ea Cyrus accepta, dabat pueris, & simul aiebat: Quas, pueri tum nugas agebamus, cum feras venabamur in leporario? Perinde enim mihi esse videtur, ac si quis vincta animalia venetur. Primum enim in angusto loco erant: deinde & tenuia & scabiosa: eratq; aliud horum claudum, aliud mutilum: at feræ in montibus & pascuis, quàm videbantur pulchræ, quàm magnæ, quàm pingues: & ceruæ, vti volucres in cælum saliebant: & apri, quemadmodum de viris fortibus aiunt, recta nos inuadebant: nec ab iis aberrare potuimus ob densitatem: deniq;, inquit, hæ ipsæ mihi videntur etiam mortuæ pulchriores, quàm illæ circumseptæ. An ne vero, inquit, vobis permittant patres venatum egredi? Facilè, aiebant, modo iubeat Astyages. Et Cyrus ait: Quis vestri mentionem

πάντα τοῖς ἀδελφοῖς καὶ τοῖς ἑταίροις κοινὰ ἡθ. θ.

Comparatio venationis liberæ cum altera.

nem apud Astyagem faciat? Quis, inquiunt, facilius persuaserit, atq; tu? verum equidem, inquit, ego quis iam sim factus nescio. Neque enim dicendo quidquam valeo: neq; auum rectis oculis queo intueri. Quod si hoc modo proficiam, metuo, inquit, ne planè stupidus & fatuus fiam: puellus cum essem, videbar dicendo plurimum posse. Tum pueri aiebant: Rem malam dicis, si neq; nostra gratia, si quid velimus, quid queas facere: sed oporteat nos id alterum rogare, quod in tua manu positum sit. Quod hæc audiisset, mordebat Cyrum: ipseq; abscessit tacitè: cumq; sibi imperasset, vt auderet, introiit, callidè inito consilio, vt quàm minima molestia auum afficeret, hæc ad ipsum referens, & impetraret, & sibi & pueris, quæ vellent. Cæpit igitur ad hunc modum: Dic mihi, inquit, aue, si quis tibi è familia aufugerit, tuq; ipsum comprehendas, vt eum tractabis? Quo igitur alio modo, inquit: quam vt vinctum opus facere cogam? Quod si vero vltro ad te reuertatur, quo-

αἰδώς.

δεῖ γὰρ ἑταίρους ἑταίροις βοηθεῖν.

ἢ αὐτὸ σκυθῶν ῥῆσις. Demet. Phalereus.

modo facies? Quid, inquit, quam vt flagris primum cædam, ne hoc iterum faciat: deinde denuo eo vtar? Nunc igitur, inquit Cyrus, videndum tibi est, vt pares, quì me flagris cædas, quia consilium cepi de fuga, abductis venatum æqualibus. Ibi Astyages, bene inquit, fecisti, qui prædixeris. Interdico enim tibi, ne hinc te moueas. Bellum enim, inquit, foret, si exiguarum carnium gratia, filiæ filium perdam. Hæc cum audisset Cyrus, paruit, & mansit: verum erat tacitus, & animo excruciato, & vultu tristi. Astyages igitur, postquam intellexit, ipsum magna animi ægritudine affici, cupiens ei gratificari, educit venatum: & collectis multis peditibus & equitibus, atq; etiam pueris, & feris in ea loca, vbi commodè equitarent, coactis, magnam venationem instituit. Et vero ipse præsto erat omnino regiè, & interdicebat, ne quis feram sterneret antè, quàm Cyrum venandi cepisset satietas. Verum Cyrus non sinebat prohibere: sed, si vis, inquit, aue, me iucundè venari, permitte hisce meis

πιθαρχία.
ἡ σφοδρὰ τῆς ἐπιθυμίας.
Indulgentia AVL.

meis æqualibus, vt & ipsi persequantur, & contendant, quam validissimè quisq; possit: Ibi igitur permittit Astyages, & adstans spectabat congredientes cum feris, & magnopere contendentes, & insequentes, & iaculantes: imprimis delectabatur Cyro, qui præ voluptate tacere non poterat, sed veluti generosus catulus, allatraret, si propius ad feram accederet, quiq; incitaret nominatim quemlibet: voluptate etiam afficiebatur, cum videbat eum illudere alicui: intelligebat & ab eo prædicari aliquem, citra omnem inuidiam. Tandem igitur, multis feris captis, domum reuertebatur Astyages: atq; porro tantopere, illa venatione delectatus fuit, vt semper, quoties posset, vna exiret cum Cyro, & assumeret, tam multos alios, tum pueros, Cyri gratia. Sic igitur potissimam temporis partem transigebat Cyrus, vt omnibus, voluptatis & boni: mali auctor esset nemini. Cum vero iam esset annos quindecim natus, aut sedecim, filius Assyriorum regis, nuptias facturus, ipsemet sub id tempus valde venari cupi-

ἰχνών. Demet. Phaler. p. 40.

σκώπτης

ὁ φθονερός.

ἀγαθῆς φύσεως τεκμήριον.

ri cupiuit. Cum igitur in finibus, qui & ipsis & Medis communes erant, multas esse feras audisset, quòd in illis locis propter bellum nulla fuisset venatio: eò ille cupiuit venatum egredi. Vt igitur tutò venaretur, assumpsit multos, tum equites, tum pedites scutatos, qui ipsi ex asperis locis feras exigerent in commodiora, vbi instrui agiq; venatio posset. Cum vero venisset, quo loco erant ipsi castella & præsidia: ibi cœnam parabat, vti postridie mane venationi operam daturus. Verum cùm iam esset vespera, excubiæ, quæ priores exciperent, ex oppido veniunt, & pedites & equites. Visæ igitur ipsi sunt magnæ præsto esse copiæ: geminæ excubiæ, quæ simul adessent, & multi equites atq; pedites, quos ipse secum habebat. Quare putauit satius esse prædam agere ex Medica: sic & splendidius opus venationis visum iri, & se victimarum magnam copiam consecuturum, arbitrabatur. Sic igitur cum manè surrexisset, duxit exercitum: confertam peditum manum in finibus relinquit: ipse vero

Potentia ὕβρεως οὔ ἔλαττον.

cum

cum equis accurrens ad Medorum propugnacula, (ducebat autem ſecum optimos & plurimos.) ibi conſtitit: ne qui in præſidiis eſſent Medorum, opitularentur aduerſus populantes: ceteros, qui præſto erant, miſit tributim, alios aliò ad populandum: & iubebat, vt in quæcunq; inciderent, cingerent, atq; ad ſeſe agerent. Hi igitur hoc agebant. Cum vero ad Aſtyagem perlatum eſſet, hoſtes regionem inuaſiſſe: & ipſe cum iis, quos ſecum habebat, auxilia in montes ducit: atq; itidem ipſius filius, cum equitibus, qui ſorte aderant: atq; etiam reliquis indicabat, vt auxilio veniret. Cum autem viderent, inſtructam Aſſyriorum aciem, & equites quieſcere: conſtiterunt etiam Medi. Verum Cyrus, videns auxiliatum reliquos vniuerſos egredi auxilio & ipſe venit, indutis tum primum armis, de quibus ipſi nunquam in mentem venerat: vſq; adeo cupiebat ipſis armari. Erant enim pulchra admodum, atq; ipſi bene apta, quæ auus, ita vt eius corpori conuenirent, facienda mandauerat. Sic igi-

Hom. βῆς πλάσε

ἀπομνημονευ.

tur armatus accurrit equo: id quod cum videret Astyages, mirabatur cuius iussu veniret: tamen ipsi mandauit, apud sese vt remaneret. Verum Cyrus, vt vidit multos equites ex aduerso, interrogabat: An hi, inquit, aue, hostes sunt, qui ita quieti equis insident? Hostes equidem sunt, inquit. An & illi, inquit, qui accurrunt? Et illi equidem. Sanè vero, inquit, aue. Verum hi, qui ita praui videntur, idq; in prauis equuleis, res nostras abigunt. Nonne igitur nostrum aliquibus illos adoriri conuenit? At non vides, inquit, fili, quanta ibi turma equitum stet instructa acie? quòd si hosce nos adoriamur, illi nos denuo intercludent, nobis vero nondum virium satis præsto est. Verum si tu exspectes, inquit, Cyrus, & assumas auxilia: hi quidem metuent, neq; se loco mouebunt: illi vero, qui prædas abigunt, vbi se inuadi viderint: eas deserent. Hæc locutus, aliquid visus fuit dicere Astyagi: simulq; admirabatur, quòd & saperet, & vigilaret: iubetq; filium cum vna equitum turma adoriri hostes,

Εὐσοχία κύρου

μίδωνι ἐπὶ πρ
πρηκτῆρι ἔργων.

ſtes, qui prædam agebant. Ego vero, inquit, illosce equites, ſi ſe aduerſum te commouebunt, adoriar, ut, nolint velint, in nos animum aduertant. Ita ergo Cyaxares, cum robuſtorum equitum & virorum manu excurrit: quos vt Cyrus ruentes vidit, ipſe vnâ proruit ſtatim: iamq; celeritate ſua omnibus ſuperatis primus ducebat omnes, Cyaxares ſubſequebatur, neq; longè tamen aberant reliqui. Sed populatores illi, vt hoſce propinquare videbant, ſtatim vniuerſis bonis relictis in fugā ſe dederunt. Qui vero circū Cyrū erant, in fugientes impetu facto, eos intercludebant, & quotquot capiebant, concidebant ſtatim, & potiſſimum Cyrus: quotquot autem obliquo curſu elapſi erant, eos à tergo perſequebantur, neq; antè miſſos faciebant, quàm aliquos eorum caperent. Quemadmodum vero canis generoſus, atq; dum imperitus, inconſiderantius fertur in aprum: Sic & Cyrus ferebatur, tantumq; hoc videbat, vt quem prehendiſſet, concideret: neq; aliud quidquam prouidebat. Hoſtes porro

cum cernerent, ſuos laborare, promouerunt turmam. Sperabant enim inſequendi finem futurum, ſi ſe illi aduentare viderent. Verum Cyrus nihilo magis remittebat, ſed lætitia elatus alta voce compellans auunculum, perſequebatur: & validam fugam hoſtibus facere pergebat: ac Cyaxares quidem ſubſequebatur, idq; fortaſſe patrem reueritus: nec non ſequebantur & alii, tali tempore ad perſequendum paratiores, etiam illi, qui hoſtibus non admodum pares erant viribus. Ceterum Aſtyages, cum videret hoſce inconſiderantius inſequi, verum hoſtes conferto agmine & ordine obuiam adire: ibi & filio & Cyro metuit, ne cum ſine ordine impetum in inſtructos facerent, in graue aliquod incommodum incideret: ſtatim ſuos aduerſus hoſtes ducebat. Hoſtes viciſsim, vt viderunt propius acceſsiſſe Medos, ipſorum alii contentis haſtilibus, alii arcubus, conſtiterunt. Arbitrabantur enim, cum ita propè acceſsiſſent, vnde hoſtes ſagitta aſſequerentur, & ipſos quoq; conſtituros, quod ad hunc modum vt plu-

vt plurimùm ſolerent facere. Cum namq; ita breui locorum ſpatio abeſſent, excurrebant mutuò, & velitationem faciebant ſæpenumero ad veſperam. Verum cum in fugam verſos regredi cernerent: & qui circum Cyrum eſſent, ſimul inſequi: Cambyſem etiam cum equitatu iam eſſe intra ſagittæ iactum: inclinant & fugiunt. Medi vero, vt qui propius perſequerentur, tollebant multos funditus: & quos prehenderent, cædebant & equos & viros, ac qui concidiſſent, interficiebant: neq; conſtiterunt antè, quàm pedites Aſſyriorum contigiſſent. Ibi igitur, veriti, ne quæ maiores inſidiæ ſubeſſent, ſe continuerunt. Deinceps ſe domum recepit Aſtyages admodum lætus victoria equeſtri: neq; habebat, quod in Cyrum diceret: quem quidem auctorem huius eſſe facinoris ſciebat, neq; tamen furere audacia neſciebat. Namq; tum abeuntibus domum aliis, ille ſolus nihil aliud agebat, quàm vt interfectos obiens, ſpectaret: atq; quibus hoc erat officii datum, eum vix retractum adduxerunt ad

Astyagem: nec non ipse, à quibus duceretur, hos præcedere iubebat, quòd videret aui vultum non leuiter conturbatum. Apud Medos igitur hæc gerebantur: & tum ceteri omnes, & sermonibus & carminibus Cyrum prædicabant: tum Astyages, quem antè coluisset, iam tum eum supra modum admirabatur. Cambyses autem Cyri pater, cum hæc audiret, voluptate afficiebatur: postquam vero audiuit, eum iam, quæ viri sint facinora, designare, reuocabat domum, vt & Persarum instituta & disciplinam absolueret. Atq; tum igitur Cyrum dixisse ferunt: se abire velle, ne quid pater grauiter ferat, nèue ciuitas sibi succenseat. Visum igitur fuit Astyagi, ipsum omnino domum remittendum. Tum ergo equis ipsi, quos vellet, donatis, & reliquis omnis generis rebus comparatis, eum dimittebat: tum, quia ipsum amabat, tum etiam, quia in eo magnas spes repositas habebat. Credebat enim virum eum futurum, qui in vtroq; præstaret, tum vt de amicis bene mereretur, tum vt hostes vlciſce-

vlciſceretur. Diſcedentem autem Cyrum ad vnum omnes deducebant, & pueri, & æquales, & viri, & ſenes, idq; in equis, ipſe deniq; Aſtyages: neq; quemquam aiebant reuertiſſe, quin lacrumaret. Et ipſum Cyrum, aiunt, diſceſsiſſe cum multis lacrumis: multa item munera diſtribuiſſe aiunt æqualibus, de iis quæ ipſi donauerat Aſtyages: tandem vero, & quam habebat ſtolam Medicam exutum, alicui donaſſe, vt indicaret, ſe hunc complecti maximè. Hos autem qui munera accepiſſent, ferunt ea retuliſſe ad Aſtyagem, ſed recepta Aſtyagem Cyro remiſiſſe: hunc vero iterum remiſiſſe in Medos, & dixiſſe: ſi vis, aue, vt ad te aliquando redeam, ne pudore afficiar, ſine habere, ſi quid ego cui dedi: Aſtyagem vero his auditis, feciſſe ita, vt Cyrus ſcripſerat. Quod ſi vero licet etiam amatorii ſermonis mentionem facere: aiunt, abeunte Cyro, cumq; ſibi mutuo valedicerent affines Cyrum oſculatos dimiſiſſe conſuetudine Perſica: quam etiamnum Perſæ retinent: Medorum igitur aliquem, hominem

hominem admodum præstantem, satis diu obstupuisse ob Cyri pulchritudinem: cum vero videret se præteritum esse, quando amici illi osculum dabant, cumq; iam abiissent ceteri, adiisse ad Cyrum & dixisse: me solum non agnoscis ex affinibus, Cyre? Quid vero dixisse Cyrum, an & tu affinis mihi es? omnino dixisse. Idcirco, dixisse Cyrum, & oculos in me defigebas. Te enim id sæpe fecisse, cognouisse mihi videor. Adire enim te, quod quidem semper cupiebam, inquit, per Deos pudebat. At non oportebat pudere, dixisse Cyrum, cum affinis mihi sis: simulq; accessisse, & osculum illi tulisse. Ibi, cui osculum datum erat, Medum interrogasse: an & apud Persas hoc institutum est osculandi affines? Omnibus modis, dixisse, si sese ex interuallo videant, atq; digrediantur, alio alius. Iam nunc igitur tuum erit, dixisse Medum, vt iterum mihi feras osculum. Discedo enim modo, vt vides. Tum Cyrum, dato iterum osculo illum dimisisse & abiisse. Cum non multum via digressi essent, Medum

dum iterum reuertisse, equo sudante. Quo viso Cyrum, numquid, dixisse, tibi excidit eorum, de quibus mecum volebas loqui? Nihil omnium, illum dixisse, sed ex interuallo redeo. Equidem, dixisse Cyrum, & illo sanè perbreui. Ibi Medum, an nescis, dixisse Cyrum, quòd quandiu oculis nicto, id mihi longum esse tempus videtur, cum te præstantissimum adolescentem non aspicio? Ibi igitur Cyrum, absterssis prioribus lacrumis, risisse, & dixisse: abiret modo ille, & bono animo esset: se ipsis breui iterum affuturum. Quare tum, si velis, me sine oculi nictu aspicere poteris. Cyrus igitur ita ad Persas profectus, annum adhuc dicitur cum pueris fuisse. Ac principio quidem ei illudebant pueri, qui apud Persas vitam mollem & delicatam doctus reuerterit: sed cum eum vidissent, non minus iucundè, quàm semetipsos, & edere & bibere, & si die festo conuiuium ageretur, eum de sua parte potius aliis aliquid distribuere, quam aliqua re egere animaduertissent: deniq; & ceteris omnibus suis in-

is institutis ipsum moderatissimè & continentissimè se gerere deprehendissent: ibi iterū se ei æquales submittebant. Perfecta vero hac disciplina, iam ad ephebos accessit. In hisce non minus videbatur se continenter gerere, & exercens, quæ exercenda, & perpetiens, quæ perpetienda essent, & reuerens seniores, & dicto audiens magistratibus. Aliquantò pòst Astyages in Medis moritur, & Cyaxares Astyagis filius, Cyri matris frater, imperio Medorum potitur. Ibi tum rex Assyriorum, qui euertisset Syros, gentem haud exiguam, subiecisset sibi Arabum regem: subiectos antè haberet Hircanos: oppugnaret vero iam & Bactrios: ita existimabat, si potentiam Medorum minuisset, tum se vicinarum circumcircà gentium facilè imperium occupaturum. Hic enim populus ex vicinis esse videbatur potentissimus. Itaq; mittit ad omnes suæ ditioni subiectos: etiam ad Croesum Lydorum regem, ad regem Cappadocum, & ad vtrosq; Phryges, ad Cares, ad Paphlagones, ad Indos, ad Cilices:

Cilices: magna ex parte res Medorum & Persarum calumnians. Aiebat enim, maximos esse hosce populos, & potentissimos, eodem loco positos, affinitatibus consociatos, animis coniunctos: itaq; metuendum esse, ne, nisi illorum potentiam prius labefactarit, inuadant singulatim gentem quamlibet, & suæ ditionis faciant. Quare nonnulli hac oratione persuasi, fœdus cum ipso faciunt: alii muneribus & pecunia victi, qua ille abundabat maximè. Ceterum Cyaxares Astyagis filius, vbi sensit insidias, & bellum aduersus se parari, & ipse subitò, quæcunq; poterat, contrà parabat, & ad Persas mittebat, tum ad remp., tum ad Cambysem, sororis suæ maritum, qui gubernabat regnum Persicum: mittebat etiam & ad Cyrum, rogatum, daret operam, vt ipse dux aduenire copiarum, si quas mitteret Persarum respublica. Iam enim & Cyrus absoluerat decem annos in epheborum consuetudine & institutis, iamq; cum viris versabatur. Quare etiam Cyrum, qui & se facilem præ-

beret, seniores, re deliberata, ducem exercitus legunt, quem in Medos mitterent: dabant vero ipsi facultatem legendi ducentos sui ordinis viros: & ducentorum cuilibet, quatuor ex æqualibus sibi legendi: qui sunt mille numero: horum millium vnicuiq; potestatem faciebant legendi è populo Persarum, decem scutatos, decem funditores, decem sagittarios: atq; ita erant decem millia funditorum: totidem scutati & totidem sagittarii: præter hos illi, quos diximus, erant mille. Tanta copia dabantur Cyro. Quam primum vero dux factus esset, initio à diis auspicatus est, & rite cæsis victimis legit sibi ducentos: cumq; iam bi quaternos legissent, iis in vnum locum conuocatis, principio hanc orationem ad eos habuit Cyrus. Delegi vos mihi, amici, quos non iam primum probauerim: sed vidi vos à pueris in omnibus summa voluntate laborare, quæ ciuitas honesta esse iudicat: quæq; turpia esse censet, ab iis in vniuersum abstinere. Quibus de caussis, tum ipse non ingratiis huic muneri præfectus

præfectus ſim, tum vos mihi aſciuerim: id volo vobis explicare. Animaduerti enim maiores nulla re nobis fuiſſe inferiores. Itaq; & ipſi in iis factis, quæ virtutis eſſe perhibentur, ſe perpetuò exercuerunt: neque tamen, quod, licet tam præſtantes viri, vel publico Perſarum bono, vel ſibimetipſis acquiſiuerint, id vlla ratione queo perſpicere. Ego vero equidem in hac ſum ſententia, nequaquam homines in vlla virtute ſe propterea exercere, vt poſtquam in ea excelluerint, non ſint meliore conditione, quàm qui nihil valeant: ſed contrà, qui præſentibus voluptatibus abſtinent, non profecto eò faciunt, vt nulla vmquam voluptate fruantur: verum, vt per hanc continentiam, variis voluptatibus, omni ſequenti tempore fruantur, ita ſeſe comparant: qui item in animum inducunt dicendo præſtantes fieri, non eò ſtudent huic arti, vt nunquam bene dicere deſinant, ſed quia confidunt futurum, vt cum bene dicendo, multis mortalium, quæ volunt, perſuadeant, multa ſibi &

ingentia bona comparent: item, qui bellicas artes colunt, non vt nullum belli gerendi finem faciant, in eo plurimum laborant: verum & hi in hac sententia sunt, se cùm scientia militari polleant, multas opes, multam felicitatem, amplos honores & sibi ipsis & ciuitati comparaturos. Quod si verò qui, cum hasce artes diu multumq; coluissent, antè, quàm aliquid fructuum ex iis percepissent, sua negligentia iam consenuerunt, quando illis vti non licet: iis perinde euenire existimo, veluti si quis in animum induxerit bonus agricola fieri, ipseq; cum agrum bene conserat, & bene plantet, cum iam ipsum hisce frui oporteat: neq; fructus ipse conuehat, verùm in agrum sinat defluere: ac si quis athleta, qui plurimum laboris superauerit, atq; iam is esse videatur, cui victoria facilè obtingat, nullum vnquam certamen ineat: neq; sanè hic mea quidem sententia, culpa criminis stultitiæ iure vacet. Verum nos, amici, videamus, ne idem nobis eueniat: sed cum, quod nobis inter nos conscii sumus

mus ab ineunte ætate, præclara facta colere cæperimus: adoriamur hostes, de quibus satis superq; mihi constat, eos imperitos esse, si ipsis nobiscum prælio contendendum sit. Neque enim hi quidquam in certamine valere existimandi sunt, qui cum arcu aut iaculis, aut equis uti scitè nouerint: ubi aliquid laboris subeundum sit, hoc ipso facilè frangantur: sed hi, ad labores si respicias, imperiti sunt: neq; etiam: qui si vigilandum sit, à somno superentur: sed & hi, ad somnum si respicias, imperiti sunt: neq; etiam: qui in hisce ita, uti deceat, se gerant, verum non didicerint, ut se & erga socios, & erga hostes tractare debeant: verum & de his perspicuum est, eos potissimæ disciplinæ imperitos planeq; tirones esse. Vos autem, quæ alii interdiu, ea noctu gerere potestis: vos labores iucundæ vitæ duces esse existimatis: vos fame tanquam condimento perpetuo utimini: vos aquæ haustus facilius, quàm leones, fertis. Bonum vero longè pulcherrimum, belloq; conuenientissimum, in animos vestros comportastis

portaſtis. Laude enim affecti magis lætamini, quàm quibuscumq; aliis rebus. Laudis vero amatores neceſſe eſt propterea, quidquid eſt laboris, quidquid diſcriminis, libenter ſubire. Quod ſi ego hæc de vobis dicam, & ſecus ſentiam; meipſum fallo. Quidquid enim eiuſmodi à vobis non præſtabitur; quidquid deſiderabitur: in me redundabit: ſed exploratis veſtris animis nitor & veſtra in me beneuolentia, & hoſtium amentia, ſperoq; hasce bonas ſpes, me numquam fruſtraturas. Quare fidenti animo proficiſcamur, ſiquidem & de nobis ſuſpicari nemo poteſt, nos videri aliena iniuſtè concupiſcere. Hoſtes enim iam adſunt, auctores iniuriæ: amici vero noſtrum auxilium implorant. Vtrum igitur eſt, an hoſtes propulſare iuſtius, an amicis ſubuenire pulchrius? Cæterum vos hac quoq; de cauſſa non minus arbitror fidenti animo eſſe, quod rebus diuinis minimè neglectis expeditionem paro. Cum enim familiares mihi ſitis, non fugit vos, me non ſolum res magnas, ſed etiam

am minutas aggredientem à diis auſpicari. Deniq;, inquit, quid verbis amplius opus eſt? quin vos, delectis viris aſſumptis, & comparatis ceteris, ad Medos iter facite: ego vero ad patrem regreſſus, vt, vbi quàm primum quo loco res hoſtium ſint, intellexero, vobis quæcunq; poſsim, comparem, vt quam pulcherrime, iuuante deo, deſcendamus in prælium. Hoc igitur illi agebant: Cyrus vero reuerſus domum, & ſupplicatione facta Veſtæ patriæ, & Ioui patrio, & diis ceteris, pergit ad exercitum: deducebat vero ipſum vnâ & pater. Poſtquam autem domo egreſſi fuerant, dicuntur fulgura & tonitrua ipſi boni ominis extitiſſe: quibus viſis, nullis præterea vſi auſpicijs procedebant: quod ſummi deûm ſigna neminem iam fugiſſent. Interea vero dum procederet Cyrus, pater cum eo huiusmodi ſermonem inſtituit: Quod te, fili, dii clementes & benigni deducunt, id tum in victimis apparet, tum è ſignis cæleſtibus: id quod & ipſe intelligis. Ego enim te ea, ſumma adhibita cura,

docui, ne ad deorum consilia intelligenda tibi aliis interpretibus opus esset: sed ipse, & quæ videri possunt videns, & quæ audiri audiens, noueris: neq; tibi necesse foret à vatibus pendere, qui si velint, te decipiant, si diuersa dicant ab iis, quæ dii significent: neq; etiam, si forte nullus vates præsto sit, dubites, quomodo diuinis signis vtare: sed cum ipse met intelligas, quæ per diuinationem à diis consulantur, diis obtemperes. Equidem pater, inquit Cyrus: Quod vt dii propitii nobis consulere dignentur: id quantum in me est, quemadmodum iubes, perpetuo studebo. Memini enim me ex te audire, sine dubio, neq; iniuria, à diis facilius impetrare quiduis, quemadmodum & ab hominibus, qui non rebus in summum discrimen deductis, tum assentetur, sed rebus maximis secundis, tum maximè deorum meminerit: ad quem modum etiam aiebas amicos esse colendos. Nonne igitur iam, inquit, fili, alacrius accedis ad deos, vt iis supplices, quando ita eos ante coluisti, speras q; te impetraturum

rum facilius, quæ velis, quoniam tibi conscius esse videris numquam neglecti numinis? Omnino, inquit, pater, sic erga deos affectus sum, vt mihi amicos. Quid enim, inquit, fili, meministine illud, quod nobis aliquando videbatur? Hoc videlicet, quòd quæ dii largiuntur, vt homines rectius, si ea didicerint, quàm si nullam eorum scientiam sibi parauerint, gerant: quæq; item labore potius quàm ignauia coficiant: quomodoq; procuratione rerum, quàm incuria tutius vitam agant: si in hisce præstemus nos eos, qui esse debeamus, sic demum nobis videbantur etiam petenda à diis bona. Equidem, inquit, Cyrus, memini me hæc ex te audire. Et enim necesse erat, orationi huic fidem adhibere. Scio enim, te semper dicere solitum: fas non esse à diis petere equestrem victoriam eos, qui equitare non didicissent: neq; qui arcu vti non nossent, hac arte eos, qui nossent, superare: neq; qui nauem gubernare non nossent, optare, vt se gubernantibus nauis salua sit: neq; qui sementem non faciat,

optare, vt sibi bonum frumentum proueniat: neq; qui in bello ipsimet excubias non agant, salutem precentur: Quæ namq; sunt huius generis, ea omnia institutis & legibus deorum aduersari: iis vero aduersantia, qui petant optentue, eos aiebas, à diis iure repulsam pati, non secus, vt ab hominibus nihil impetraturus sit, qui roget, quod contra leges sit. An vero, inquit, eorum oblitus es, fili, quæ aliquando tu & ego bonis rationibus concludebamus? nempe, satis & præclarè hominem officio fungi, qui curam hanc gerat, primum vt ipse vir bonus & spectatus euadat, deinde vt & ipse & familia rebus necessariis non egeant. Cum autem hoc efficere magnum opus sit, tum aliis hominibus ad hunc modum præesse, vt omnibus & ipsi rebus necessariis abundent, & sint, cuiusmodi eos esse decet: id vero dignum admiratione nobis esse videbatur. Profecto, inquit, pater, memini & hoc te dicere. Quare & mihi videbatur opus supra modum difficile & arduum, aliis bene & præclarè imperare.

Atq;

Atq; etiam hodie, inquit, idem mihi videtur, quando in ipsum imperium intuens, rationem ineo. Cum igitur in alias gentes respicio, & sedulo animaduerto, cuiusmodi illæ sint, qui illic imperium tenent, & cuiusmodi hi sint, qui aduersarii nobis futuri sunt: iam tum turpe esse arbitror; nos ita præstantes viros, formidare, & animo minus esse parato cum illis ad dimicandum: quos ego, inquit, (vt initium faciam vel ab hisce nostris affinibus) huius esse opinionis intelligo: oportere principem à populo sic differre, vt cœnet sumptuosius, vt domi plus reconditum auri habeat, vt in plures horas somnum capiat, deniq; & præ omnibus vitam agat à laboribus quàm maximè vacuam. Ego inquit, contrà, sic sentio: oportere differre principem à populo, vt cogitationem suscipiat, non vt viuat quàm facillimè, sed vt prouideat, neq; vllius ipsum laboris pigeat. Sed, inquit, fili, sunt quædam eiusmodi, in quibus non aduersus homines contendendum est, sed cum ipsis negotiis, quæ commodè superare, non

re, non est facile. Initio hoc te non fugit, inquit: nisi rebus necessariis instructus sit exercitus, statim euersum iri tuum imperium. Nonnè, inquit, pater, Cyaxares pollicetur, quantas hinc copias traduxerimus, iis se præbiturum omnia? Tune, inquit, fili, fretus hisce Cyri facultatibus, iter hoc suscipis? Ita equidem facio, inquit Cyrus. Quid? inquit, annè tibi constat, quæ quantaq; illi suppeditent? Minimè gentium, inquit Cyrus. An nihilominus iis nitere, de quibus tibi nihil liquet? An nescis, & tum tibi multis opus fore, & nunc quoq; sumptum haud exiguum esse faciendum? Scio, inquit Cyrus. Iam, si sumptus illum, inquit, deficiat, vel etiam vltro te frustretur, quo loco tibi erunt copiæ? Non dubium est, quin pessimo. Sed pater, inquit, tu si quos reditus dispicis, qui à me accedant, dum adhuc apud nostros sumus, aperi quæso? Hoccine quæris, inquit, fili, num qui reditus à te possint accedere? Tu vero cum tales pedestres copias hinc abducas, quas longè amplioribus non sis

permu-

permutaturus: atq; equitatum longè optimum habiturus sis Medorum, confœderatum: ecquam finitimarum gentium arbitraris partim cupiditate gratificandi, partim metu infortunii: vobis non præsto futuram? Hæc decet te simul cum Cyaxare considerare, ne vllo vmquam tempore quidquam omnium, quæ in promptu esse oportet, desideretur: & tanti exercitus caussa inuenire vias prouentuum. Sed hoc omnium maximè mihi memineris, numquam id tempus esse exspectandũ parandi commeatus, quo te iam ipsa necessitas vrgeat: sed, quando abundas maximè, tum potius antè, quàm egeas, aliquid inueni. Nam & multò facilius ab iis, quos rogas, quid impetrabis: atq; insuper cauebis, ne quid culpæ in te conferre possint milites: & si tuis copiis, vel quibus benè facere velis, vel malè, promptius tibi, quòd ipsi habeant necessaria, obsequentur, & oratio tua, (ne dubites) plus fidei tum habebit, cum maximè demonstrare poteris, te, siue cui benè, siue cui malè velis facere,

facere, vtrumq; posse. Verum, inquit, pater, cum omnibus de causis hæc mihi egregiè videris dicere, tum quia de stipendiis, quæ nunc milites capiunt, nemo omnium mihi gratiam habebit: (norunt enim qua conditione in societatem adsciscantur à Cyaxare.) quod vero quis præter promissa, accipit; hisce sibi honorem haberi arbitrabuntur, & de hisce plurimum gratiæ habituros credibile est. Quod si quis iam exercitum ducat, quo tum sibi amicos ad reddendum beneficium deuincere possit, tum etiam ex hostibus suis nonnihil acquirere, & vtrinq; opes suas augeres tamen negligat: annè hoc minus turpe esse existimas, quàm si quispiam, qui & fundos habeat, & operarios qui illos colant; ac tamen terram iacère sinat, neq; quidquam ex ea vtilitatis capiat? Quare sic velim, inquit, de me statuas, me numquam non esse hoc diligenter facturum, vt quæ necessaria sint militibus, vnà inueniam, siue in amicorum siue in hostium regione futuri simus: Quid, inquit, de reliquis, fili, quæ aliquando

quando ita necessaria nobis videbantur, vt nullo modo essent prætermittenda, meministi? An non, inquit, meminerim? Cum enim te adirem, petitum argentum, quod ei darem, qui se artem imperatoriam me docuisse profitebatur: tu & mihi dabas, & simul ex me quærebas in hunc ferme modum. Homo ille, aiebas, fili, cui mercedem fers, etiámne te in ceteris officiis imperatoriis de re familiari commonefecit? Non minus enim rebus necessariis opus est militibus, quàm familiæ in ædibus. Ibi cum ego tibi faterer, quod res erat, & dicerem, ne verbo quidem illum eius rei mentionem fecisse, quærebas iterum ex me, numquid mihi de valetudine & de viribus ostendisset, imperatoris esse, non minus de his ipsis esse sollicitum, quàm de imperio. Vbi vero & hoc negauis denuo ex me quærebas: docuisséne ille me aliquam industriam, qua effici possit, vt socii in quibusq; officiis militaribus sint quàm præstantissimi. Cum inficiarer vero & idipsum: vicissim tu hoc quoq; me interro-

rogabas: num ille me in arte erudiisset, qua possem alacritatem in militum animis excitare. Affirmabas enim in qualibet re alacritatem in vniuersum potiorem esse oscitantia. Quod cum & ipsum abnuerem; iterum tu contendebas, numquem instituisset sermonem, quo me doceret, quo quis potissimum artificio exercitum sibi dicto audientem pararet. Vbi vero constaret, ne vllam vmquam huius rei mentionem fuisse factam; vltimo loco me interrogabas: quid ille tandem me docuisset, qui professus fuerit, se docere me artem imperatoriam. Ibi igitur respondi: docuisse illum rationem instruendæ aciei Tum tu subridens, singulis ob oculos positis, hoc mihi explicuisti: rationem instruendæ aciei inutilem esse exercitui, nisi commeatus, & reliqua necessaria præsto sint. Quid vero illa iuuet sine valetudine? quid, nisi quis nouerit artes inuentas ad gerendum bellum? quid, nisi dicto audientes sint? Postquam vero mihi perspicuum feciſti; rationem instruendæ aciei exiguam quandam

esse

esse partem artis imperatoriæ: & ego quærerem, ecquid horum tu me plenè erudire posses: iussisti me adire viros, qui imperatorii esse perhibentur, cumq; iis de his rebus sermones conferre, et sciscitari, quo pacto quæq; horum fierent. Quare ab eo tempore, cum iis vixi familiariter, quos audiebam esse harum rerum peritissimos. Ac quod ad commeatum, persuaseram mihi: eum satis nobis futurum, quem Cyaxares esset præbiturus. Quod ad valetudinem attinet, cum & audirem & viderem, tum ciuitates, quæ studiosæ sint bonæ valetudinis, medicos sibi adsciscere, tum duces propter milites, assumere medicos: ita & mihi, postquam huic muneri præfectus fui, hæc res statim curæ fuit: atq; existimo, inquit, pater, habere penes me multò præstantissimos medicos. Ad hoc igitur respondit pater: verùm, inquit, fili, quos tu dicis medicos, quemadmodum scissarum quidam vestium consutores, ita illi, quos morbi inuaserint, iis tum demum medicinam faciunt. Tibi autem magnificenti-

or, quàm hæc sit ratio, de valetudine cura incumbit. Cura enim tibi hæc suscipienda est, ne omnino vllo morbo afficiatur exercitus. Ecquam, inquit, viam ingressus, pater, idipsum perficere potero? Quòd si igitur aliquod tempus vno loco consistere constitueris; principio nequaquam negligendum est, vt castris salubrem locum designes: neq; hoc te poterit fallere, modo tibi curæ sit. De locis enim pestilentibus & salubribus numquam non satis verborum faciunt homines: luculenti autem ipsis testes præsto sunt, corporum tum soliditas, tum color. Præterea non sufficiet, loca fuisse contemplatum: sed & memineris, quid ipse instituas, quibusq; rebus studeas, vt valetudinem tuam tucaris. Ibi inquit Cyrus: primùm profecto do operam, ne onerer cibo: quod hoc pergraue sit: deinde, quæ sumpserim, labore conficio. Sic enim & valetudo mihi magis conseruari, & vires augeri videntur. Eandem igitur, inquit, fili, & in aliis curam adhibere oportet. Numquid etiam vacabit, inquit, vt exer-

ceantur

ceantur corpora militum. Profecto, inquit pater, non solùm vacabit, sed & hoc ipso opus est. Oportet namq; exercitum, qui officium suum faciat, in alterutro perpetuo esse occupatũ, vel vt hostibus calamitatem conciliet, vel sibi bonum, quòd cum graue sit, vel vnum hominem ignauum alere; grauius, fili, vniuersam domum: tum longè grauissimum sit, exercitum ignauum alere. Quam plurima enim corpora in exercitu cibum capiunt, vt maxima ita minima, quæq; nacta fuerint, prodigunt. Quare nullo vmquam tempore otiosum esse exercitum conuenit. Ita dicis, inquit, pater, vt mihi videtur: vt nulli vsui sit ignauus agricolas ita & nulli vsui esse ignauum ducem. Sic igitur, inquit, de duce sentio: occupatum eum futurum negotiis, tanquam operarium, &, nisi deus aduersetur, effecturum, vt necessaria abundè habeant, & corporibus firmis sint milites. Verum, inquit, quod ad singula bellicarum exercitationum genera attinet; si quis certamina indicat pater, idq;

propositis præmiis: in vnoquoq; probè milites exercere mihi videatur, vt iis, vbi opus sit, promptis præparatisq; vtatur. Nihil à te, fili, potuit dici rectius. Hoc enim si feceris, (quod omnino tibi persuadeas velim.) sic aciem spectabis semper, quæ officii sint, exercentem, vti chorum. Verum equidem, inquit Cyrus, ad inflammandos animos militum, nihil æquè mihi valere videtur, quàm bonam spem posse iniicere hominibus. Verum, inquit, fili, id eiusmodi est, ac si quis canes in venatione semper ea voce compellet, qua vtatur conspecta fera. Primum enim non dubito, quin canes dicto audientes futuri sint: sed si quis eos frustretur sæpius, tandem ne tum quidem, cum ille, visis reuera feris, eos aduocet, parere possunt. Non secus se habet, quod ad spem attinet. Quod si quis iniecta bonorum expectatione fallat sæpius; is tandem etiam, quando veram spem faciat, id nemini persuaserit. Sed hoc, fili, fugere magnopere oportet, ne quis ea dicat, quæ non satis certo nouerit. Alii forte

ali-

aliquando ſi idem dicant, perficiant, quod velint: ſed fidem tuam ita conſerues cenſeo, vt tum tibi milites maximè credant, cum ad ſumma eos ſubeunda diſcrimina cohortaris. Equidem, inquit Cyrus, egregiè mihi videris dicere, idq; ſequar libentius. Neq; etiam me ignorare arbitror, pater, quo pacto dicto mihi audientes faciam milites. Ita enim tu me à puero erudiiſti, vt tibi parêre cogeres: deinceps magiſtris tradidiſti: qui & hoc idem agebant. Cum vero apud ephebos eſſemus; nullius rei æquè ſedulo, atq; huius, magiſtratus noſter curam agebat: deniq; multæ leges videntur mihi hæc duo potiſſimum docere: imperium & obedientiam. Quare, quando de his diligenter cogito, in omnibus, quæ ad parandam obedientiam, poſſint facere, hoc eſſe præcipuum arbitror: vt dicto audientem laude & honore; contumacem ignominia & pœna afficias. Et quoniam, fili, hac ratione neceſſitas obtemperandi imponitur: vt, quod multo ſatius eſt, vltro obtemperent, magis compendiaria ratio eſt.

est. Quem enim ad comparandas vtilitates se prudentiorem esse indicauerint: ei homines summa voluntate obtemperant. Id ita esse, tum ex aliis multis cognoueris, tum ex ægrotis, quàm vltro ipsimet arcessant, qui præscribant, quid faciendum sit: item in mari, qui vna nauigant, vltro gubernatoribus obtemperant: quos item existiment, vias certius nouisse, atq; ipsi nouerint: ita iis adhærent, vt ab ipsis se diuelli non patiantur: contra si putent, se, si dicto audientes sint, in infortunium incursuros: ibi neq; pœnis quidquam franguntur, neq; muneribus flectuntur. Neq; enim quisquam sponte munera accipit, sibi quæ exitio sint. Hoc nimirum, inquit, ais, pater: nihil magis valere ad parandos homines dicto audientes, quàm si quis iis esse videatur prudentior. Hoc aio, inquit. At quomodo quis, pater, hanc de se opinionem, quàm celerrimè possit concitare? Non est, inquit, fili, ratio magis compendiaria, quàm vt sis prudens, quibus in rebus esse prudens videri velis. Quod si singula con-

consideres, ad hoc quod attinet, cognosces, id ita se habere, quod dico. Quod si enim velis bonus agricola esse videri, cum non sis, aut eques, aut medicus, aut tibicen, aut quiduis aliud; quàm multa te inuenire necesse erit, vt esse videaris? quin etiam si multis persuaseris, vt te collaudent, vt opinionem adipiscaris, & in quoq; genere multa tibi instrumenta pares; tum & in præsentia alios fefelleris, & paullò pòst, vbi periculum feceris, falsi eris conuictus, & glorioſus quispiam videberis. Sed quomodo quis fiet prudens, iis in rebus, quæ ad vtilitatem hominum pertinent? Si videlicet, inquit, fili, quemadmodum tu rationem instruendæ aciei didicisti; ita ea discas, quæ discendo consequi possumus. Quæ vero ab hominibus perdisci nequeunt, neq; prospici humana prouidentia; ea si à diis per diuinationem scisciteris, prudentior eris ceteris: sed quod ipse scias, rectius esse geri, si adhibebis eam curam, vt geratur: sic in hoc genere vinces alios prudentia. Est enim prudentis viri, potius quiduis di-

ligenter curare, vbi opus sit, quàm negligere. Ceterum, vt ab iis, quibus quis imperat, ametur, (quod ego in potißimis rebus pono.) eadem via est, quam & ingredi eum oportet, qui sincere ab amicis amari desideret. Nam vt ego sentio: liquere oportet, nos beneficiis illos afficere. Verum id, inquit, fili, arduum est, semper, in quos velis beneficium conferre. Quare huc potißimum te conuertes, vt amicis ex animo gratulari, si quid ipsis obtingat boni: vt condolere, si quid mali: vt subuenire ipsorum difficultatibus cupidè videaris, tum metuens, ne alucinentur, & prouidens, ne offendant, Ita & in rebus gerendis, non obscurum esse oportet: imperatorem, æstiuo tempore, plus solis tolerare: hyberno, plus frigoris: si labores subeundi sint, plus laborum subire. Hæc enim omnia conferunt, vt ab iis, qui sub imperio sunt, ametur. Ais, inquit, pater: imperatorem oportere in omnibus esse tolerantiorem, quam qui eius imperio parent. Sic aio, inquit: neq; tamen non te bono animo esse iubeo, fili.

Non

Non enim, (quod scire te velim.) similes labores similia corpora eodem modo afficiunt: imperatoris dico & priuati militis: sed labores subleuat imperatori honor, quodq; nouit, quidquid gesserit, id omnium ore prædicari. Iam vero, pater, si milites commeatu instructi sint, si valeant, si labores subire possint, si quidquid est artium militarium, in iis se probè exercuerint, si studio virtutis & fortitudinis inflammati sint, si parère, quam contumaces esse malint: an non tum sapere videatur, qui quam primum velit confligere cum hostibus? Equidem inquit, si meliore sit conditione: sin minus; ego sane quò arbitrer, & me præstantiorem esse, & præstantiorem ducere militem, hoc magis caueam, ne dimicem: quemadmodum & aliis in rebus, quas plurimi facimus, loco quàm tutissimo collocare studemus. Quomodo, mi pater, meliore quis conditione, quàm hostes sint, esse possit? Profecto, inquit, de re haudquaquam nihili vel obuia scisciteris, fili: sed scias, eum, qui hoc velit agere, esse oportere

insidiatorem, occultatorem animi sui, fraudulentum, circumscriptorem, furem, prædonem: deniq; in qualibet re præstare hostibus. Ibi subridens Cyrus, deum immortalem, inquit, cuiusmodi tu me virum fieri ais oportere? Eum, inquit, fili, qui sis quàm iustissimus, & legum obseruantissimus. Quî nos, inquit, cum pueri essemus, & ephebi, cum hisce pugnantia docebatis? Etiam nunc, inquit, iubeo te plane contraria vsurpare aduersus amicos & ciues. Sed quomodo hostibus incommodaretis, nónne eò vos discere multa artificia solitos meministi? Non sanè, inquit, pater. Qua ergo gratia discebatis & sagittis vti & iaculis? Qua gratia capere apros plagis & foueis? Quid ceruos pedicis & hamis? Quid? an non cum leonibus, cum vrsis, cum pardalibus congressi præliabamini, & hoc agebatis sedulo, vt vafra quadam ratione vobis consulentes cum iis contenderetis? an nescis hæc omnia esse artificia quædam, & fraudes, & dolos, & compendia? Equidem, inquit, aduersus belluas: verum

rum si quem hominum decipere velle viderer, graues me pœnas dare memini. Neq; enim, inquit, ni fallor, vobis potestatem faciebamus aut sagittæ aut teli dirigendi in hominem, sed vos docebamus ad scopum iacere, ne ibi amicis calamitatem inferretis: sed si quando bellum ingrueret, possetis & in homines collimare: neq; audiebamus vos, fallere & circumscribere, hominibus, quibuscum ageretis, propositis, sed belluis, ne si cum hominibus vobis res esset, amicos læderetis: sed ne, moto aliquando bello, harum rerum imperiti & rudes essetis. An non, inquit, pater, cum vtrumq; vtile sit nosse, & benè & malè hominibus facere, vtrumq; nos docere, vt erga homines vsurpemus, conueniebat? Sed aiunt, inquit, fili, fuisse maiorum nostrorum ætate magistrum puerorum, qui doceret pueros iustitiam, qua id tu iam vis ratione fieri: non mentiri, et mentiri: non circumscribere, & circumscribere: non calumniari, & calumniari: plus sibi quàm aliis non appetere, & plus appetere sibi quàm

aliis: neq; vero non definiebat, quibus erga amicos, quibusq; contra hostes vti oporteret: atq; insuper progressus docebat: iustum esse, amicos fallere ea in re, quæ ad eorum vtilitatem spectaret, atq; etiam furto auferre res amicorum, si hoc ex vsu illorum foret. Quæ cum doceret, ipsa quoq; pueros factis inter se exercere necesse erat: quemadmodum & in lucta Græcos aiunt docere, fallere, eosdemq; in eo exercere pueros, vt luctantes inter se ita fallant. Cum igitur essent puerorum nonnulli perquàm ingeniosi, & à fraude, iniquitate, forte quoq; ab auaritia, natura haud abhorrerent: hi ne amicis quidem parcebant, quo minus studerent ex eorum dispendiis sua facere compendia. Hinc igitur decretum tale factum est, quo etiam hodie vtimur, vt pueros doceamus simpliciter, quemadmodum & famulos domesticos docemus aduersum nos verum dicere, non fallere, non furtum facere, neq; plus sibi appetere: quod si secus faxint, vt in eos grauiter animaduertamus: vt his moribus assueti, humanio-

res &

res & clementiores ciues fiant. Postquam autem eam ætatem attigissent, qua tu iam es: tum demum, vt, quibus legibus contra hostes vtendum foret, vos doceremus, tutissimum visum fuit. Cum namq; sic essetis educati, vt vos mutuo reuereremini: non esse metuendum putabamus, ne à vobis deficeretis, & ciues feroces fieretis: quemadmodum et de re veneria apud valde adolescentes nihil verborum faciamus: ne si ad acrem libidinem eorū accesserit calliditas, ea adolescentes immoderatè vtantur. Quare, inquit, cum ad hæc compendia perdiscenda serius accedam: quæso te, pater, prolixè me doce, quo pacto res meas meliore loco semper constituam, quam sint res hostium. Hoc igitur, inquit, excogita & inueni, quantum potes, vt instructa acie diffusos hostes adoriaris, vt tuis armatis illos inermes, vt vigilantibus dormientes, vt cum tu eos oculis videas, ipsi contrà te nusquam animaduertant: vt eos excipias in angustiis, tu vero in amplo tutoq; loco sis. Quomodo, inquit, pa-

ter,

ter, quis hostes tam malè rebus suis consulentes deprehendat? Quoniam, inquit, fili, huius generis non pauca & vobis et hostibus euenire necesse est. Neq; enim aliter fieri potest, quin vtriq; sumatis cibum, vtriq; somnum capiatis: quin opus sit panè omnibus, in rebus necessariis prima luce exire aliquo: quin viis vtamini, cuiusmodi ipsæ sint. Hæc omnia tibi sedulo consideranda sunt, atq; in qua re vos inferiores esse animaduertas, in ea quàm maximè cauendum: in qua contra senseris hostes inuadi posse facilius, in hac vide, vt eos potissimum inuadas. Annè, inquit Cyrus, in hisce tantum quis conditionem suam possit meliorem facere: an vero & in nonnullis aliis? Imo in aliis multò magis, inquit, fili, Nam quod ad ea, de quibus dixi, vigilias constituunt firmas: quòd iis sibi opus esse norint. Qui autem ad circumscribendos hostes intenti sunt; securos eos queunt reddere, & deinde sibi non cauentes opprimere: item insequentes negligere, suo ordine dissipato, vt illos in loca difficilia deductos adoriantur.

antur. Sed cum te videam, fili, magno horum omnium studio inflammatum; non iis solum, quæ ab aliis acceperis, tibi vtendum scias: sed & ipsum opificem inuentionum aduersus hostes te esse oportet: quemadmodum neq; musici iis tantum vtuntur, quæ didicerint: sed etiam operam dant, vt & ipsi cantilenas pangant, atq; adeo in musicis, quæ nouissimæ sunt & floridæ, supra modum celebrantur. Multò vero magis in bellicis, quæ fraudes recentissimè inueniuntur, egregiæ sunt: quod hostes falluntur hisce potissimum. Quod si tu, inquit, fili, nihil aliud transferas ad homines circumueniendos, quàm eas machinas, quas in pusillas bestias excogitabas; an non putas, inquit, in fraudibus, quas in hostes vsurpes, te progressum esse plurimum? Tu enim insidians auibus, rigente hieme, interrupto somno, noctu exibas: atq; prius, quàm se volucres mouerent, laquei, quibus illæ implicarentur, instructi iam erant: neq; non area illa, quæ fixa solo esse videbatur, loco moueri poterat:

& alias erudieras volucres, quæ in aucupio tibi seruirent in decipiendis sui generis volucribus: at tu in insidiis sedebas, vt ipse illas videres, illæ te non animaduerterent: deniq; tibi curæ erat, vt retibus repente contractis volucres antè, quàm auolarent, inclusas teneres. Sic & ad venandum leporem, quoniam ille in tenebris pascitur, interdiu pedibus sibi salutem quærit: canes alebas, qui odoratu eum indagerent: quòd deinceps in cubili inuentus celerrime aufugeret, alios ducebas canes, eosq; bene edoctos, vt in vestigiis illum caperent: quod si & ex horum dentibus elaberetur, vbi didicisses, & quibus in locis frequens esset, & quorsum se effugiens proriperet: ibi retia, quæ oculos facilè fallerent, expandebas, quibus ipse præcipiti cursu se implicaret: ac ne se ex iis denuo exueret, huic rei speculatores constituebas, qui è propinquo statim adessent, atq; ipse aliquanto remotiore spacio, sublata in altum voce terrorem lepori incutiebas, vt temerè caperetur, cum quos priore loco in insidiis collocasses,

tacitos

tacitos esse iussisses, ne animaduerterentur. Quare, vt prædixi, si & eiusmodi machinari studeres aduersus homines: haud scio, an non quidquid est hostium, & quidem aduersum omnes dolis anteuerteres. Quod si vero omnino in campo palam & armatis vtrinq; committendum sit prælium: ibi, fili, vt potiore conditione sis, plurimum valebunt, quæ tu longo tempore præparaueris. Ea sunt, mea sententia, eiusmodi: si corpora militum probè fuerint exercita: si animi prompti & acres: si, quacumq; sunt bellicæ artes, fuerint bene excultæ. Minimè autem omnium hoc te fugere oportet: quotquot vltro tibi obtemperabunt, vniuersos de se à te quoq; velle deliberari & constitui. Nullum igitur tempus à cogitatione & curis vacuum amitte: sed noctu prospice, quid, vbi primum illuxerit, iis faciendum sit, qui tuo imperio parent: & interdiu, vti ad noctem omnia disponantur optimè. Quomodo autem explicandæ sint in aciem ad pugnam copiæ, aut quomodo die & nocteue ducendæ, siue per angustias, siue per

latas vias, siue per montes, siue per campos: aut quomodo castrametandum; aut quomodo excubiæ nocturnæ vel etiam diurnæ constituendæ, aut quomodo ducendi milites aduersus hostes, aut ab hostibus reducendi: aut quomodo ducendi ad ciuitatem hostilem, aut quomodo ad mœnia ducendi, siue ab his reducendi: aut quomodo paludes vel fluuii transcundi: aut quomodo cauendus equitatus, aut quomodo iaculatores vel sagittarii: &, si tibi ducenti explicatis cornibus exercitum occurrant hostes, quomodo tuam illis aciem opponas: aut ducenti phalangem hostes occurrant aliunde, quàm à fronte, quomodo tuis copiis contrà iis obsistas: aut quomodo res consiliaq; hostium quàm maximè cognoscas, aut quomodo quàm minimè illi tuam conditionem sciant: hæc, inquam, omnia, tibi quid ego referam? De his enim sæpe ex me audistis, quæcunq; mihi nota fuerunt: ac præterea, si quis tibi harum rerum scientia instructus videretur, neminem tibi negligendum putasti, & percepisti singula.

Oportet

Oportet igitur, meo iudicio, quicunq; casus eueniant, hisce vti, sed iis semper, quæ in rem tuam maximè futura existimes. Disce vero etiam hoc, inquit, fili, quod omnium caput esse censeo. Nihil namq; te sine victimis & auspiciis vmquam moliri velim, neq; in tuis priuatis rebus, neq; in his, quæ ad vniuersum imperium spectant: id quod omnino sequèris, si animaduertas, homines tantum, vbi coniecturam de rebus fecerint, negotia aggredi, neq; nosse, quidnam horum ipsis ex vsu sit. Hoc autem ex re ipsa deprehenderis. Neq; enim pauci iam, iiq; crediti sapientissimi, persuaserunt ciuitatibus, vt bellum aduersus eos susciperent, à quibus, qui persuaderi si passi fuerant, funditus deleti sunt. Multi item multos & priuatos & populos summopere ornarunt, qui tamen cum creuissent, longè pessimam illis gratiam retulerunt. †Multi etiam minimè suo loco contenti, etsi iucundè vitam agebant, cum omnium rerum se dominos constituere concupiscerent, eam ob caussam & iacturam fecerunt,

† deest. πολλοὶ δὲ οἷς ἐξῆν φίλοις χρῆσθαι, καὶ εὖ ποιεῖν, καὶ εὐπάσχειν: τούτοις δούλοις μᾶλλον βεληθέντες, ἢ φίλοις χρῆσθαι, ἐπ' αὐτῶν τούτων δίκην ἔδοσαν.

runt, quæ habebant, bonorum. Multis deniq;, qui auro, quod maximè in votis est mortalibus, abundarunt: aurum exitio fuit. Vsq; adeo humana sapientia nihilo magis nouit eligere, quod optimum est, quàm si quis, cum sortiatur, sortem sibi suo consilio conetur conficere. Dii vero, fili, qui semper existunt: & præterita norunt, & futura, & qui ex quaq; caussa euentus secuturus sit: atq; hominibus à quibus consulantur, quibusq; ipsi propitii sint, antè significant, quæ illos facere oporteat, quæq; non oporteat facere. Quod si neq; cum omnibus consilia sua communicare velint: nihil mirum. Neq; enim vlla ipsis est imposita necessitas, vt, quorum nolint, aliquam in se curam suscipiant.

FINIS.

XENO ONTIS
CYR EDIÆ

LI RTIVS.

Nicola s dorf. Jo. Castilius.

IOAN ASELIO

ie.

Eiusdem n de educatione
princi secunda, &
tolæ.

HII
Ex o Myliandri.
A XXCII.

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 038
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
UB Rostock
05150
the scale towards document

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863614663/phys_0099